















DESCRIPTIO
PVBLICÆ GRATVLATIONIS, SPECTACVLORVM ET LVDORVM,

IN ADVENTV SERENISS. PRINCIPIS ERNESTI ARCHIDVCIS AVSTRIAE, DVCIS BVRGVNDIAE, COMITIS HABSP. AVREI VELLERIS EQVITIS, BELGICIS PROVINCIIS A REGIA MA.TE CATHOL. PRÆFECTI, AN. M.D.XCIIII. XVIII. KAL. IVLIAS, ALIISQVE DIEBVS ANTVERPIÆ EDITORVM.

CVI EST PRAEFIXA,

De Belgij Principatu a Romano in ea Prouincia Imperio ad nostra usq; tempora breuis narratio.

Ad Principem Sereniss. et S.R.E. Cardinalem, Archiepiscopum Toletanum Albertum Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, &c.

Cum carmine Panegyrico in eiusdem Principis Ernesti, suscepto a Regia Ma.te Catholica Belgicarum ditionum imperio, in easdem Prouincias aduentum.

Accessit denique Oratio funebris, in Archiducis Ernesti obitum iisdem Prouincijs luctuosissimum.

Omnia a IOANNE BOCHIO S.P.Q.A. a secretis conscripta.

LABORE ET CONSTANTIA

ANTVERPIAE
EX OFFICINA PLANTINIANA.
M. D. XCV.

DE
BELGII PRINCIPATV,
A ROMANO IN EA PROVINCIA IMPERIO,
AD NOSTRA VSQVE TEMPORA
BREVIS NARRATIO.

Ad Principem Serenissimum & Cardinalem amplissimum ALBERTVM ARCHIEPISCOPVM TOLETANVM, AVSTRIÆ ARCHIDVCEM, Burgundiæ Ducem, Comitem Habspurgi, &c.

DESCRIPTIONEM *aggressurus rerum Antuerpiæ in primo Serenissimi Archiducis Ernesti fratris tui in hanc vrbem aduentu, publicè gestarum, Serenissime Princeps, Cardinalis amplissime, causas in animo grauissimas habui, cur hic ingenij mei conatus licet exiguus, tuæ præcipuè Celsitudini Serenissimæ videretur dedicandus. Nam vt omittam vulgares illas atque contritas scriptorum rationes, quibus ferè omnes in proœmijs vti solent, cùm fœtus suos in lucem prodeuntes Principum quorundam patrocinio commendant, sumpto ab eorum dignitate argumento, vel à sua scribentium persona; vtrumque hîc à tua magnitudine alienum est, & ab instituto meo. Neque enim hoc opusculum tua amplitudine dignum æstimaui, nec si quid ingenij mediocritas suggereret, tanti ego Principis clientelam putarem tam parui momenti scriptione affectandam. Sed mihi permagni Germaniæ Inferioris interesse videbatur, vt quibus illa votis, qua exspectatione, quo desiderio Principem Ernestum recenter exceperit, ex sola Antuerpiensium gratulatione, tu potissimùm intelligeres; qui illa publici honoris officia fratri Archiduci à Belgis exhibita, ad omnes augustissimæ Austriacæ domus Principes, & eorum in numero ad tuam quoque Celsitnem pertinere iudicares. Quin etiam ipsi Regi, Principi nostro clementissimo, hoc vno testimonio facilè probares, quàm gratum fuit omnibus hæreditarijs prouincijs diuinum hoc eius prudénsque consilium, de illarum regendarum absoluta potestate in consanguineum Archiducem conferenda. Nec certè minori lætitia perfusi sunt omnes potentissimæ Monarchiæ subditi, quòd te iuuentutis Principi Philippo assiduum esse voluit, & in ea ætate eius lateri adiunxerit, quâ indolis suæ felicissimæ primordia habenis imperij tractandis exercet, rebúsque præclarè gerendis assuefacit. Cuius Regiæ voluntatis præstantisq́ consilij, & duorum fratrum eximijs virtutibus delati honoris accepto nuncio, nemo fuit quin ad gratias regnorum defensori suppliciter agendas sublatis in cœlum manibus conuolaret, quòd eam Regi sapientissimo mentem dederit, vt quos sanguinis coniunctio futuro suorum regnorum hæredi arctissimè deuinxit, eos etiam singularibus dignitatum ornamentis ad curandæ Reip. communionem alligaret. Nec in vobis eligendis Regiæ Mati aliæ & exploratæ rationes defuêre, sed vitæ sanctitate, continentia, probitate, morúmq́ tuorum grauitate & modestia, illius de te sententiam confirmasti, vt nemini quam*

tibi adolescentis ætatem omni omnium prædicatione maioris, in hac ceu herbescentis ingenij teneritate, committendam esse duxerit; cuius opera & præsentia maximas in eo virtutum fruges exstituras vnusquisque auguratur, ac orbem Christianum tali Principe tranquillum ac beatum fore sperat. At verò præter ceteras nationes & prouincias Diuinæ bonitati singularibus verbis Belgas vniuersos gratias agere conuenit, atque optimi Regis de Ernesto iudicium, in summi beneficij loco reponere, quod rebus in magnum discrimen adductis, eum Germaniæ Inferioris ditionibus Principem præfecerit, quo vel meliorem, vel ad has turbas in quietem conuertendas accommodatiorem nec cogitare vel optare possimus, nec alium vsquam reperire, cuius ductu & auspicijs pristinum splendorem Belgica faciliùs citiusq; recuperet. Quod Regiæ Ma^tis magnitudine haud indignum, vniuersæ Reip. Christianæ non inutile, Principi Philippo minimè indecorum, Belgis necessarium esse demonstrabimus, si Historiarum monimentis euolutis, gentis antiquitate metiamur dignitatem, & ex Cæsarum diuersorum, gentiúmque de hoc orbis angulo certantium laboribus, commoda ponderemus, si ex Principum multitudine in qualibet Belgij ditiuncula maximorum, pacandæ prouinciæ desiderium excitetur, denique si ex belli huius assiduitate (qua subditi contabescunt, principatus mutilatur, religio obsolescit) mutatis consilijs vel acceleratis, debellandum esse in animum inducant, qui manibus clauum Reip. tenent. Quorum bona venia Principum Belgicorum origine repetita, & eorum successionibus nonnihil delibatis, ad præsentem rerum statum descendere mihi liceat. Hoc primùm deprecari tua æquanimitas (quod & oro & obtestor) & prudentia me sinet, quia de principatu apud eum Principem oratio instituitur, qui ad firmamentum Belgici principatus, atque ad optimorum subditorum salutem, quamplurimùm potest conferre adiumenti; & quia de rebus domesticis narratio, sua se meliùs apud exteras nationes veritate tuebitur, si orationis meæ cursum tui patrocinij lenis aura prosequetur.



BELGICA igitur pars Galliæ erat tertia, cùm eam Iulius Cæsar Procos. cum exercitu (erant enim illi Galliæ in quinquennium decretæ) circa annum vrbis conditæ D.C.XCVI. primus ingrederetur, P. Cornelio Lentulo, & Metello Nepote Coss. eamque Romano Imperio adijceret. Regionis autem situs Germaniæ est finitimus, & incolæ ferè omnes à Germanis ortum habent, illamque originis affectationem perquàm ambitiosè sibi retinuerunt, nec alio adhuc nomine prouincia distinguitur, quàm Inferioris Germaniæ vocabulo, quæ à superiori, teste Dione, vsq; ad Oceanum Britannicum se extendit, ad cuius litora descendit protensior; & maris interfusa statis horis æstuaria & recessus inaccessi, siluæque impeditissimæ, & inuiæ paludes, tutis eam oram finibus muniebant, vt gentes ceteroquin Gallorum fortissimas, & iuxta Plutar. potentissimas superare, haud parui momenti fuerit: quod de Neruijs & Aduaticis victoriæ non incruentæ testantur. Biennio interiecto ac Cn. Pompeio, & M. Crasso iterum coss. bello contra Tenchteros & Vsipetes gesto, Cæsar per Morinos, vnde breuissimus transitus erat, in Britanniam traiecit, reuersus Morinos rebellantes vicit, Menapios in deditionem accepit. Sed Romanis legionibus in hiberna dimissis, populumq; recenter in fidem acceptum, non tamen Germanæ libertatis oblitum, insolitis imperatis & tributo diuexantibus, opportunam Ambiorix Eburonum regulus occasionem arripuit, Belgas ad defectionē concitādi, vt eo duce Cæsaris legatos L. Arunculeium Cottam, & Q. Titurium Sabinum cum toto cui præerant exercitu apud Varucam circumuentos deleuerint, nec Q. Ciceronis in Neruijs hiberna acerrimè oppugnare abstinuerint, donec Cæsare cum legionibus celeriter accurrente, hostibus fusis, castra Ciceronis liberata fuerint. Anno sequēti datis obsidibus Menapij in fidem Romanorum accepti, Ambiorix

biorix fugatus, Ciceronis castra ad Varucam dubio euentu aggressi Sicambri, Eburones vastati. Nec ita multò pòst, vix elapso biennio M. Marcello, & Ser. Sulpitio Rufo Coss. in vniuersæ Galliæ de libertate vindicanda & recuperanda pristina belli laude, summa consensione, dum à Romanis Alexia obsidebatur, Corbeus Bellouacos, Comius suos Atrebates armauit. Hos Cæsar cum Romanis legionibus adortus, cæso Corbeo, in fugam verso Comio, prælio deuicit, ac deditis Bellouacis gente bellicosissima, in Belgium ad quatuor legiones se recepit, quas ibi per legatos M. Antonium, C. Trebonium, P. Vatinium, & Q. Tullium in hiberna dimiserat. Cumque ibi hiemaret, vnum illud propositum habuit, vt in amicitia ciuitates retineret, nulli spem aut causam armorum daret. Itaque ciuitates honorificè appellando, Principes maximis præmijs afficiẽdo, nulla noua onera cuiquam imponendo, omnes meliore parendi conditione facilè in pace & officio continuit. Ipse etiam Comius impunitatem impetrauit, atq; hoc insuper exorauit, vt timori suo concederetur, ne in vllius Romani conspectum vnquam veniret. Tum Cæsar C. Trebonium legatum cum quatuor legionibus in Belgio collocauit, Galliam ratus fore tutiorem, si Belgæ recenter subiugati, quorum maxima virtus erat, exercitibus coërcerentur. His ita peractis Cæsar in Italiam quàm maximis potuit itineribus contendit, L. Paullo, & C. Marcello coss. Quis verò aut qua potestate Belgicam prouinciam aliquot annis postea obtinuerit, non satis equidem compertum habeo, nisi existimemus Cęsare bello ciuili distracto, Cæsarianarum partium legatos prouincię præfuisse; siquidem cùm Cæsar ad sui securitatem prouincias distribueret, priusquam in Hispaniam cõtra duces Pompeianos Petreium & Afranium profectus est, nulla vel de Belgica, vel de Gallia Transalpina mentio reperitur, sed citeriorem Galliam Licinij Crassi prouinciam esse voluit, vt Appianus memoriæ prodidit; neque certè neglexisset quemquam suæ factionis Galliæ præficere, nisi satis sibi cautum ibidem putauisset, præsertim cùm Hispania quæ Pompeio fauebat, metum illi iniecerat, ne Galliam quoque ad defectionem permoueret, vt ex Dione annotauimus. Constat autem ex Appiano D. Brutum, qui postea ex Cæsaris percussoribus fuit, viuo Cæsare vlteriori Galliæ præfuisse: Cui videtur Iulij decreto successisse M. Æmilius Lepidus eo anno quo Cæsar interfectus est, qui post eius cædem in Gallia Narbonensi imperium habuit, cùm D. Brutus Mutinę obsessus est, & Antonius ibi victus ad Lepidum Proconsulem in Galliam profugit. Sed secuto Triumuiratu, diuisisque prouincijs, vniuersa Gallia, quæ cis & trans Alpes sita est, Antonio cessit, præter Narbonensem, quæ vnà cum Hispania Lepido obuenit, quemadmodum à Cæsare superstite obtinuerat. Ijsdem temporibus Calenus & Ventidius Transalpinæ Galliæ pro Antonio præfuisse leguntur, quam Fusius Caleni filius mortuo patre Cæsari Octauio, qui in Galliam venerat per metum sine certamine tradidit, & Fuluiâ Antonij vxore defunctâ, cùm in gratiam Augustus & Antonius redijssent, inter ceteras prouincias facta imperij diuisione, Gallia Augusto fuit asscripta, eiusque mandatis omnia ibi gesta. Itaque M. Agrippa eo anno quo cum L. Gallo cepit consulatum, factâ in Gallia rebellione, contra eos qui defecerant, bellum fecit instruxitq;, cuius ipse causa secũdus inter Romanos Rhenum transiuit, & rebus prosperè gestis, ab Augusto reuocatus est, decreto illi triumpho, quem tamen omisit. Circa quæ tempora pacatas fuisse Gallias, & prouinciam Belgicam, ex eo colligitur, quod Augusto in Galliam vsque progresso, vt Britannicam expeditionem Iulij exemplo susciperet, nulli ab Historicis motus describantur, cùm ibi Augustus esset ea hieme, qua Antonius iterum & Lucius Libo consulatum gerebant. Post elapsum quinquennium Cęsare V. & Valerio Potito coss. qui in eius anni parte in Sexti Apulei consulis locũ successerat, inter ceteras gentes etiam de nonnullis Galliæ ac Germaniæ populis Cæsar Augustus, & cum eo C. Albius Carinas Romæ triumphauit, qui Morinos aliosque rebellionis socios domuerat, & Sueuos Rhenum trãsgressos profligarat. Cùm autem Cæsar Consulatus sui anno VI. (quem cum eo iterum Agrippa gerebat) monarchia potitus esset, factâ inter ipsum & S.P.Q.R. prouinciarum partitione, Galliam Belgicam inter ceteras prouincias decennali imperio regendam suscepit, eiusque curationi proprætorem aut legatum præfecit. Est quoque verisimile Belgicas Augustum præsentẽ in prouincia cum totius Galliæ rebus composuisse, cùm ad bellum in Britanniam transferendum cum exercitu in Galliam venit, vbi res omnes fluctuãtes offendit, quia subactis primùm Gallis & Belgis

ſtatim bella ciuilia ſubſecuta fuerant. In illis igitur regionibus cenſu agendo & moribus ac Rep. formanda, Auguſtus aliquãtum temporis extraxit. Pacata igitur fuit Belgica, præſtantiſſimi principis optimis inſtitutis, vſque ad C. Sentij & Q. Lucretij conſulatum, cùm Agrippa Gallijs adminiſtrandis eſt præfectus; nam & mutuis ſeditionibus Galli laborabant, & à Germanis infeſtabantur, quos motus Agrippa ſedaſſe legitur. Poſt triennium elapſum Cæſarem Auguſtum ex vrbe euocauit Germanici belli metus. Sicambri, Vſipetes & Tenchteri Inferioris Germaniæ populi, Romanos quoſdam in agro ſuo deprehenſos in crucem ſuſtulerant, Rhenoque tranſmiſſo è Gallia prædas egerant, & Romanum equitatum contra ſe miſſum ex inſidijs interceperant, atque à fugientibus ad eorũ præfectum M. Lollium de improuiſo pertracti, illum quoq; ſuperarant. Hos Cæſar Auguſtus expeditione ſuſcepta ſine prælio compeſcuit. Nec mirum videbitur quod nihil in deditos acerbiùs ſtatuerit, ob actos præſertim in crucem Romanos, quâ nulla queat eſſe atrocior iniuria, ſi culpam Legati auaritiæ tribuamus: ipſe enim Lollius pecuniæ quàm rectè faciendi cupidior, & in ſumma vitiorum diſſimulatione vitioſiſſimus, vt ſcribit Velleius, tranquillam prouinciam auaritia conturbauit, vt illam contumeliam velut iuſtam Imperator vltionem iudicarit. Sequenti verò anno ſimili de cauſa accuſatus eſt Licinnius Galliæ præfectus, qui præter inſolitas exactiones, menſtrua tributa eo modo imperabat, vt decimum anni menſem Decembrem conſtitueret, & menſes quatuordecim quotannis computaret. Quapropter repetundarum poſtulatus, iudicium tali aſtutia eluſit, quòd extortas per ſummam iniuriam pecunias Cæſari & Romanis ſe congeſſiſſe diceret, vt Gallos ſuis opibus & viribus eneruatos, ab omni in poſterum rebellione deterreret. Auguſtus tamen Galliam pacandam eſſe ratus, Licinnio reuocato, Tiberio curandam, & ab iniquis tributis recreandam illam dedit, Druſo in Germania relicto. Res ille ibidem geſſit memorabiles M. Valerio Meſſalla, & P. Sulpitio Quirino coss. quum ipſe Galliam pro prætore regeret: Sicambros enim duce Melone Galliã incurſantes & ſocios repreſſit, ne Rhenum ad auxilium Gallorum traijcerent, foſſamque immenſi & noui operis fecit, qua ex Moſa in Rhenum nauigaret, cui ab auctore Druſianæ nomen fuit: Galles repulit ad auxilium rebellantium Rhenum tranſeuntes, nam ob tributorum & fœnoris grauitatem, ac propter coactorum ſæuitiam & ſuperbiam ſe Germanis adiũxerant. Vſipetum agrum iuxta inſulam Batauorum populatus, & ſecundo Rheno in Oceanum deuectus, Bructeris nauali prælio ſuperatis Friſios in fidem ſuam accepit, quorum opera è maximo periculo euaſit, cùm in Chaucorum fines progreſſus in ſicco naues receſſu maris hærerent. Sequens porrò annus non minùs fuit rerum à Druſo geſtarum memoria clarus: nam veris initio Rhenum trãſiuit, Vſipites perdomuit, fluuium Lupiam põte ſtrauit, in Sicambros irrupit, Tenchteros afflixit, & Cattos Sicambrorum armis fractos, quia ſocietatem cum reliquis Germanorum populis coire, vt commune periculum coniunctis viribus propulſarent, noluiſſent, varijs cladibus attriuit. Hinc Cheruſcorum, Sueuorum & Sicambrorum validiſſimis copijs difficili prælio ſuperatis ad Viſurgim penetrauit. Inde reuerſus, non ſine ſummo diſcrimine, parum enim abfuit quin penitus cum toto exercitu periret, duobus caſtellis in Lupiæ & Aliſonis fluuiorum confluentibus, & in Rheni ripa conſtructis honores imperij proconſularis peracta prætura meruit. Nec ita multò pòſt Cattos partim ſubiugauit, qui relicto eo agro quem Romani aſſignauerant, Sicambris ſe coniunxerant. Tum anno ſubſequenti Claudio Nerone Druſo & T. Quincto Criſpino coss. repetita in Germaniam expeditione Druſus in Cattorum fines ingreſſus, obuia quæque cum magna moleſtia in poteſtatem redigendo, & pugnâ congreſſos haud incruentâ victoriâ ſuperando, vſque ad Sueuos peruenit, inde conuerſo in Cheruſios itinere, Viſurgim tranſgreſſus, ad Albim vſque populabundus perrexit; vbi operum & vitæ eius termini conſtiterunt. Excepit deinde Germanici belli molem curamque Tiberius, qui Germanos ſtudio partium inter ſe commiſſos, mutuiſque factionibus attritos oppreſſit, quos ſociatos metuebat, Rhenoque tranſmiſſo, magna ex parte regionem Germaniæ inter Albim & Rhenum in prouinciam redegit, & multa Sicambrorum Sueuorumque deditorum millia traduxit, agrumque inter Rhenum, Moſam & Vahalim habitandum conceſſit. Ceterùm cùm Tiberium Auguſtus adoptaſſet, ſub C. Antiſtij Veteris, & D. Lælij Balbi conſulatu, tribunitia poteſtate per bina quinquẽnia ad annos decem data, in Germaniam eum ablegauit,

vbi M. Vinicius strenuè rem gerebat, quâ protinus intratâ, subacti Caninefates Bataui populi, Attuari, Bructeri, Cherusci recepti; & Visurgi superato copias Tiberius hoc modo diuisit, vt partem belli difficillimam sibi sumeret, ijs quæ minoris erant discriminis Sentium Saturninum proconsularem legatum præficeret. Igitur Sicambros iterum in deditionem acceptos datis obsidibus, in Gallia & proximis Rheno agris collocauit; ac in Italiam reuersus, non ante in Germaniam redijt, quàm post cladem Varianam, qua trium legionum, totidemque alarum & sex cohortium exercitus cum ipso duce in saltu Teutoburgensi inter Lupiam & Rhenum ad internecionem cæsus est, Poppæo Sabino & Sulpicio Camerino consulatum gerentibus. Culpam tantæ cladis apud omnes auctores Quinctilius Varus ex securitate & socordia sustinet; quæ plerunque nasci solet, cùm rapiendi cupiditas Præfectorum cæcat animos, & ad rem priuatam attentiores, ad publicam minùs intentos facit: quàm enim pecuniæ non contemptor fuit Varus, Syria cui præfuerat declarauit, quam pauper diuitem prouinciam ingressus, diues pauperem decedens reliquerat. Post mortem Augusti Imperium Romanum adepto Tiberio, Inferiorem Germaniam legionibus seditione grauissimè laborantibus A. Cæcina curabat, Germanico Drusi filio censum per Gallias accipiente, & Belgarum ciuitates in verba Tiberij adigente. Sed motu militari non sine commilitonum sanguine sedato, Germanicus legiones in hostem duxit, eaq; expeditione Marsi, Tubantes, Bructeri & Vsipetes vastati aut cæsi. Deinde Rheno iterum transmisso Catti vastantur, Cheruscis bellum infertur, ossa & reliquiæ Vari & legionum, sextum post cladis annum, insepultæ leguntur, & ab exercitu humantur, eorumque manibus suprema soluuntur; Copiæ Cæcinæ in reditu ab Arminio propemodum interclusæ. Postea Germanicus, Sisenna Statilio Tauro & L. Libone coss. specie moti Orientis à Tiberio reuocatus, victoriæ celebrandæ studiosissimus classem ingentem mille nauium fabricatus, iusso milite in insula Batauorum conscendere, exercitum Oceano per fluminum ora alueosque nauigabiles in mediam vsque Germaniam vexit: multaque ibidem fortissimè gessit, Angriuarios fudit, Cheruscos & Arminium ingenti prælio vicit: Cui tamen victoriæ tituloque magnifico, quem erigi curauerat, *debellatis inter Rhenum Albimque nationibus*, valdè impar fuit exitus; Nauibus enim & hominibus partim amissis, partim disiectis, ad subitam tempestatem nauigandi Oceani accedēte imperitia, perpauci incolumes euaserunt. Drusus deinde Tiberij filius nihil in Germania præclari gessit, M. Silano, & L. Norlano coss. quàm quòd Germanos ad discordias illexerit. Illo verò secundum, patre quartum gerente consulatum, noui motus in Belgica exorti, Iulio Floro concitore, ob tributorum continuationem, fœnoris grauitatem, præsidentium sęuitiam atque superbiam, cùm in ea prouincia Visellius Varro legatus esset, sed illi tumultui finem fecit disiecta in silua Arduenna multitudo, & Florus sua manu mortem inueniens. Post aliquot item annos Iulio Silano, & Silio Nerua coss. Frisij transrhenanus populus pacem exuére, Romanorum auaritiæ magis, quàm obsequij impatientes, cùm sub L. Apronio Germaniæ Inferioris proprætore, Olennius quidam è primipilaribus gentem illā regeret, & insolito tributo (quod modicum Frisijs Drusus imperarat, pro rerum angustia satis exigi ratus, si in vsus militares boum coria penderent) prouinciam diuexaret. Vrorum enim terga delegerat Olennius, ad quorum mensuram tributaria præberentur: Quod cùm illi prouinciæ difficile tunc esset, nostro enim æuo armenti feracissima est, ipsos primò boues, mox agros, postremò cōiugum ac liberorum corpora seruitio tradebant. Et cùm illorum questibus nemo subueniret, ex bello remedium calamitati quæsiuerunt: cui parum feliciter Apronius iuit obuiam, sed Frisij bellica virtute claruerūt. At Caius Caligula rerum potitus eo anno quo secundum ipse consulatum diebus triginta gestum L. Apronio sex mensibus concessit, succedente illi Sabinio Maximo, vel Sanquinio (vt eruditissimus Lipsius apud Dionem legit) priori in Galliam profectione vltra Rhenum parumper progressus, ac velut in Britanniam iturus motis castris ab Oceano redijt, iratus legatis si quid rei gessissent; at subditos, fœderatos & ciues spoliauit, mirumque in modum afflixit; atque iis omnibus nullum nisi diuitiæ commune crimen erat. Sequenti verò anno cùm sine collega consulatum obtineret, suppleto numero Batauorum, quos circa se habebat Augusti exemplo, qui ea gente equitandi tum perita, vti primùm cœpit, cùm patris veteranos contra Antonium conuocauit; alteram, sed ridiculam, Britanniæ

ſuſcepit expeditionem, cùm in Oceani litore copias militares in aciem diſpoſuit, & ſigno dato conchas legere mandauit, illaſq; velut ſpolia Oceani ſubacti Romam ad triumphum curauit deportari. Sexto poſtea Claudij Cæſaris anno, duobus Valeriis Aſiatico iterum & Meſſalla coss. Sanguinius Germaniæ Inferiori præfuit, illi Domitius Corbulo ſucceſſit, qui præfecturæ ſuæ initio Chaucos duce Gannaſco Caninefate Belgicam incurſantes repreſſit, & legiones Romanas in ordinem veteremque diſciplinam cum magna ſeueritatis laude reduxit, Friſijs clade Aproniana ferocibus, agros apud quos conſiderent deſcripſit, magiſtratus legeſque ipſis impoſuit, & à Claudio reuocatus, inter Moſam Rhenumque trium & viginti millium ſpatio foſſam produxit, ne illi fluuij æſtuante Oceano refluentes reſtagnarent, & ne miles, dum abeſſet, caſtrorum ocio marceſceret. Nec multò pòſt Curtius Rufus Belgicę præfecturæ honorem adipiſcitur, qui cùm in agro Mattiaco ſpecus recluſerat, quærendis argenti venis, legionibus moleſtior quàm prouinciæ fuit. Sed ſub eodem Cæſare, C. Antiſtio, & M. Suilio Rufo coss. in oppidum Vbiorũ Agrippina Auguſta, quæ ibi erat genita, coloniam duci iubet, cui nomen inditum ex ipſius vocabulo. Ijſdem temporibus Catti in Germania ſuperiori prædabundi à L. Pomponio è Gallia opprimuntur, auctaque lætitia quòd quoſdam è clade Variana poſt annum quadrageſimum ſeruitio exemerant. Nec omnino malè, ſub peſſimo licet Principe, adminiſtrarunt prouinciam, Paulinus Pompeius, L. Vetus, Ælius Gracilis Belgicę legati, & Vibius Auitus, Neronis temporibus. Eius enim tertio cum Valerio Meſſalla conſulatus anno, Paulinus inchoatum ante tres & ſexaginta annos à Druſo aggerem Rheno coërcendo per milites abſoluit: Vetus, Moſellam atq; Ararim, factâ inter vtrumque foſſâ, connectere parabat, vt copiæ per mare dein Rhodano & Arare ſubuectæ, per eam foſſam in Moſellam, inde in Rhenum & Oceanum decurrerent, ſublatiſque itinerum difficultatibus, nauigabilia inter ſe Occidentis Septentrioniſque litora fierent: à quo opere Ælius Gracilis Belgicæ legatus per inuidiam auctorem deterruit. Circa eadem tempora terminos agrorum egreſſi Friſij, Verrito & Malorige ducibus, qui nationem eam regebant, Neronis auctoritate decedere agris iuſſi, quos Anſibarij occuparunt, & accitis in belli ſocietatē Bructeris, Tencteris, alijſque nationibus, cauſam Auitus diſſociare coëgit, Cattoſque ad exitium penè gentis deleuit. Priuſquam ad imperium Galba perueniret, Inferioris Germaniæ legiones diutius ſine conſulari fuerant, ad quas Galba Vitellium miſit cenſoris Vitellij ac ter conſulis filium, qui exercitum in officio continuit, cùm Belgicæ procuratore Pompeio Propinquo, quo tempore Germaniæ ſuperioris legiones ruptâ ſacramenti militaris reuerentiâ grauiſſimas ibidem ſeditiones concitarant. Poſt cædem Galbæ Aulus Vitellius Inferiorem Germaniam ingreſſus, hiberna legionum cum curâ adiit, multaque correxit, quæ per ſordes & auaritiam Fontei Capitonis malè erant ordinata. Mox Belgici exercitus deinde Germanici beneficio, Imperio Romano potitur Vitellius, Pompeius Propinquus ſtatim interficitur, Valerius Aſiaticus prouinciæ Belgicæ legatus partibus Vitellianis accedit. Cùm igitur Vitellius duplices copias duobus itineribus in Italiam mitteret ad imperium capiendum, Fabius Valens Inferioris Germaniæ exercitum ad quadraginta millia armatorum ducebat. Orta in itinere inter equites Batauos & Legionarios contentione, quæ propè in prœlium exarſerat, Valens paucorum animaduerſione, oblitos Batauos imperij admonuit: ſed redintegratam ab iiſdem ſeditionem caſtris prope Ticinum poſitis, cùm immiſſis lictoribus cœptaret coërcere, fugâ ſaluti ægrè conſuluit, quem tumultum Alphenus Varus conſilio compeſcuit. Nec adhuc in eâdem expeditione deflagrauit cohortium Batauicarum ſeditio, nam Auguſtæ Taurinorũ à priuatis conuiciis ad cædem tranſierunt, qua de cauſa Vitellius Othonis morte Imperator, in Germaniam eas remiſit, ne quid auderent truculentius. Frequẽtium horum tumultuum cauſam in ipſius Valentis morum procacitatem & luxum coniicio: Nam is diu ſordidus, repentè diues, & ex inope iuuene ſenex prodigus, fortunæ mutationem malè regebat, tametſi reliqua Germaniæ Inferioris militia, cùm vrbem Vitellius armatus intraſſet, Valentem ſequebatur, Imperij munia cum Cæcina obeuntem. Interfecto Vitellio, noui in Belgio motus Claudio Ciuili auctore concitantur, qui iuuẽtute Batauorum ad delectum vocata nouare res cœpit, duriſſimæ conquiſitionis & auaritiæ occaſione, cùm ſenes & inualidi ad delectũ traherentur, qui pretio dimittebantur, impuberes à parentibus, fratres à fratribus diuel-

bus diuellerentur. Primi igitur Bataui Ciuili assensêre, post hos Caninefates: Tum duce Brinione præsidia Romana prouinciâ eiiciuntur, castella euertuntur; Aquilius primipilaris, dein Mumius Lupercus legatus prœlio vincuntur. Veteranæ cohortes Batauorum ex Italia remissæ, spreto Flacco Hordeonio, qui copiis Romanorum in superiori Germania præerat, inferiorem petiuere vt Ciuili iungerentur; quos transitu arcere Herēnius Gallus conatus, cum legionariis & tumultuariis Belgarum cohortibus pellitur funditurque. Veniunt deinde ad belli societatem Bructeri, Tencteri, aliæque Transrhenanæ & Germanicæ nationes, tam spe libertatis, quàm imperij cupidine. Hordeonio permittente quod exercitus Romanus per seditionem poscebat; Dillius Vocula illi bello gerendo cum Herennio præficitur. Vario euentu pugnatum vtrobique. Hordeonius suorum seditione interficitur, ducis ignauiam perfidię insimulantium. Nec ita multò pòst etiam Vocula cadit, submisso illi per Classicum percussore. Herennius & Numisius Rufus legati capti vinctique, Lupercus Bructerę virgini fatidicæ, cui nomen erat Velleda, inter dona missus, in itinere occiditur, ac paulo pòst Herennius ac Numisius trucidantur. Hæc sub Vespasiano gesta sunt, ipso cū filio Tito coss. tantamq; hoc bellum trepidationē Romæ attulit, vt periclitari imperiū videretur. Ipse Domitianus ad eam expeditionem accingitur, legiones præmittuntur, Galliæ deliberant, senioribus quies cum obsequio placuit, Petilio Cereali hoc pluribus persuadente. Is acre cum Ciuili & Classico certamen, initio ambiguum, sed fine lætum habuit. Commissis deinde inter Cerealem & Ciuilem prœlijs, petito colloquio & progressis in Vahalis ripa ducibus, hoc bellum pace inter ipsos confecta videtur absolutum. Iisdem quoque Cæsaris Vespasiani temporibus Cornelius Tacitus historiæ sui æui scriptor eximius, Galliæ Belgicæ datus procurator, rationes eius principis ibi administrauit. Titi autē & Domitiani imperio, nihil de Belgica præfectura nobis exstat, nisi quod Domitianus in Galliam & Germaniam cum exercitu profectus, hoste nunquam viso reuersus fuerit, & quòd legionem primam Atheniensem in Germania inferiori instituit, vt Dio testatur; fortassis eo tempore quo expeditionem in Cattos suscepit, vt scribit Suetonius. At Nerua Traianus sumptis in hac prouincia imperij insignibus, gentes Transrhenanas in statum pristinum reduxit, totamque Germaniam humanitate & clementia, in Rom. imperij prouinciam redegit. Per idem tempus Licinius Sura Belgicas ditiones videtur aliquando pro prætore administrasse fide & amicitia Traiano coniunctissimus, vt ex antiquo marmore colligimus: cuius inscriptio admutilata Romæ exstat:

IMP: CAESAR DACICVS, GENTEM DACORVM
ET REGEM DECEBALVM BELLO SVPERAVIT,
SVB EODEM DVCE LEG. PROPR. AB EODEM
DONATO HASTIS PVRIS VIII. VEXILLIS VIII.
CORONIS MVRALIBVS II. VALLARIBVS II.
CLASSICIS II. AVRATIS II. LEG.
PRO. PR. PROVINCIAE BELGICAE. LEG. LEG. I.
MINERVIAE. CANDIDATO CAESARIS.
IN PRAETVRA, ET IN TRIBVNATV PLEB.
QVAESTORI PROVINCIAE ACHAICAE, IIII VIRO
VIARVM CVRANDARVM. HVIC SENATVS
AVCTORE IMP. TRAIANO AVG. GERMANICO,
DACICO, TRIVMPHALIA ORNAMENTA DECREVIT,
STATVAMQ. PECVN. PVBLIC. STATVEND. CENSVIT.

Eadem ferè tempestate Fescenninum præfectum cum Romana potestate in Galliis fuisse, & D. Dionysium Areopagitam Lutetiæ Parisiorum Apostolum à Clemente Pontifice in Galliam missum, sub eodem præfecto, cum sociis Rustico & Eleutherio martyrium compleuisse, ex Martyrologio Romano edocemur. Sed quibus se finibus præfectura continuerit; non habeo quod affirmem; quam tamen ad tempora Cæsaris Adriani ex sacris scriptoribus Baronius retulit, altero Annal. Ecclesiasticorum tomo. Sub eodem quoque Cæsare restitutâ in Galliis & Germaniis militari disciplinâ, T. Varium Clementem in Belgica cum aliquo imperio

imperio fuisse ex antiquo marmore adducor vt credam, quòd idem fuerit præfectus auxiliorum in Mauretaniam Tingitanam ex Hispania missorum, & quia constat Adrianum compositis Britanniæ rebus in Hispaniam venisse, & motus Maurorum compressisse: inscriptio lapidis talis est:

T. VARIO CLEMENTI AB EPISTVLIS
AVGVSTOR. PROC. PROVINCIAR. BELGICAE
ET VTRIVSQ. GERM. RAETIAE, MAVRET,
CAESARIENS. LVSITANIAE CILICIAE, PRAEF.
EQVIT. ALAE BRITANNICAE MILIAR. PRAEF.
AVXILIORVM IN MAVRET. TINGITAN. EX
HISPANIA MISSORVM PRAEF. EQVIT. AL. II. PANNONIOR.
TRIB. LEG. XXX. VLP. PRAEF. COH. II. GALLORVM
MACEDONICAE, CIVITAS TREVERORVM
PRAESIDI OPTIMO.

Vel certè eundem proc. habuit Belgica sub Aurelio Vero, & Aurelio Antonino, qui simul imperarunt, quòd idem Varius Clemens ab epistulis Augustorum fuisse legatur. Ceterùm quis fuerit P. Ælius Agrippinus proc. prouinciæ Belgicæ, cuius in antiquo marmore Neapoli exstat mentio, dubitari potest, nisi Antoninum Pium vel Commodum Imperatorem quibus Ælij prænomen fuit, eidem Agrippino vel eius patri, ex Romana consuetudine nomen Ælij dedisse diuinare nobis liceat; patronorum enim nomina retinebant liberti, aut eorum à quibus ciuitate donabantur: inscriptio hæc est:

P. ÆLIO P. F. AGRIPPINO CORNICVLARIO
PROC. PROVINCIÆ BELGICÆ, FRATRI CARISSIMO
ET ÆLIÆ AMABILI MATRI PIISSIMÆ
VICTORINVS AVG. LIB. FECIT.

Siue igitur Agrippinus Æliæ familiæ libertus fuerit, neque enim eius alia quàm fratris Victorini potuit esse conditio, siue illud aliunde nomē habuit, parum nostrâ interest, sed ideo in hoc opere eius mentio incidit, quòd Belgicæ nostræ præfuisse eum constat. Porrò gentes Transrhenanæ, seu Germani inferiores, temporibus M. Antonini Philosophi in Italiam perruperunt, magnisque Romanos incommodis affecerunt, quos Pompeianus & Pertinax legati cum exercitu represserunt. Neque prætereundum est quòd inter Barbarorum cæsorum cadauera, armata mulierum corpora sint reperta. Sub Commodi imperio, Frisiis prælio fusis Clodius Albinus celebre apud Romanos nomen suum fecit, teste Capitolino in eius vita. Sub id quoque tempus Numerianus Grammaticus Româ profectus, dignitatem senatoriam legationemque ementitus, in Galliam venit, & paruis initio copiis comparatis Albini primùm equitatum confecit, multaque pro Seuero fortissimè gessit. Quare collaudatus ab eodem Imperatore maiorem in prouincia exercitum instruxit, ac præter res gestas ibidem memorabiles, pecuniæ vim ingentem ad Seuerum misit, quam ad mille septingentas quinquaginta myriades drachmarum coëgerat. Reliquo verò Septimij Seueri eiusque filiorum Caracallæ & Getæ imperio, pacatam fuisse Belgicam ex eo percipimus, quòd illis ad bellum Britannicum profectis, Bataui pro salute Augg. itu ac reditu in ea expeditione vota susceperint, nec vllius ibidem tumultus fiat mentio: votorum hîc ex marmore sensus exstat:

FORTVNÆ AVG. SAC.
PRO SALVTE, ITV AC REDITV D. D. N. N
M. ANT. ANTONINI PII AVG. ET P.
SEPTIMII GETÆ NOBILISS. CÆSS.
CIV. BATAVI, FRATRES ET AMICI P. R.
V. S. L. M.

Confirmat eiusdem temporis in Belgio tranquillitatem alia apud Batauos eruti lapidis ad vetus Rheni ostium huiusmodi inscriptio:

IMP.

IMP. CÆS. SEPTIMIVS SEVERVS, AVG.
ET M. AVRELIVS ANTONINVS CÆS. COH.
XV. VOL. ARMAMENTARIVM VETVSTATE
COLLAPSVM RESTITVERVNT SVB VAL. PVDENTE
LEG. AVG. PR. PR. CVRATORE CÆCILIO BATONE PRE.

Vbi nomina propręt. & curatoris prouinciæ ad huius operis institutum sunt animaduertenda. Ceterùm à Septimio vsque ad Gallum & Volusianum Imperatores, nihil dignum notatu in Germania nostra gestum reperio, nec quis eidem prouinciæ præfuit. Gallo autem Cæsare imperium obtinente, & negligentiùs administrante, credibile est Belgas inter ceteras gentes quæ à Romanis defecerunt, similiter Romanam seruitutem exuisse, eò quòd circa eadē tempora sub Gallieno ignauissimo Principe, cùm Gallicas gentes Rheni accolas Germani vexarent, vt Zosimus tradit, Galli principes luxuriosos indignè ferentes à Romana ciuitate degenerarunt, & Posthumum vt refert Trebellius Pollio, vel vt Eutropius, Posthumium, ad imperium vocarunt, consentientibus exercitibus, qui occupatum Imperatorē libidinibus querebantur. Sumptâ autem Posthumius purpurâ, Belgicas Gallicasque prouincias Germanorum irruptionibus penè consumptas, per annos decem ingenti virtute & moderatione restituit. Sed illo cum filio per seditionem militarem interfecto, successit Lollianus, illi Victorinus, post quem Tetricus Gallicis ditionibus præfuisse legitur, qui omnes fuerunt ex triginta tyrannis sub Cæsare omnium perditissimo Gallieno Romanum imperium inuadentibus. Mox Imperator Aurelianus Gallias ab ijsdem multis annis occupatas Romano imperio recuperauit, & eiusdem ditionem ad fines suos pristinos varia bellorum felicitate reuocauit, cæsis Tetrici legionibus proditore ipso duce. Verùm cùm circa annum Christi Seruatoris ducentesimum octogesimum Proculus & Bonosus apud Agrippinam imperium arripuissent, ac sibi Britannias pluresque prouincias vi & armis vindicassent, à Probo Cæsare deuicti sunt, qui Gallias Posthumo occiso turbatas, interfecto Aureliano à Germanis possessas, gestis feliciter prœlijs recepit. Post hæc verò tempora Diocletiano & Maximiano Romæ imperantibus, Carausius tribunus Menapiæ ciuis in Belgicam & Aremoricam à Carino missus est, ad mare pacandum apud Belgicam Bononiam, quod Franci & Saxones accolentes infestabant. Sed idem Carausius multis Barbaris sæpe captis, nec integrâ prędâ prouincialibus redditâ, aut Imperatoribus missâ, in suspicionem Maximiano venit, consultò ab eo admitti Barbaros, vt transeuntes cum præda exciperet, & ingentes hoc modo diuitias corraderet. Ad quem opprimendum cùm Maximianus in Galliam venisset, partemque exercitus secundo Rheno immisisset, Carausius properè cum classe, quæ Galliarum litora tuebatur in Britanniam traiecit, illaque prouinciâ in potestatem adductâ, piraticam exercuit, & ad eum Batauia per Francos occupata similiter defecit. Quamobrem Maximianus curis omnibus & apparatu ad hoc bellum conuersis arma in Carausium intulit. Sed cùm ad maris Britannici inclementiam, rei quoque nauticæ imperitia accederet, bello intermisso & dilata vindicta, Cęsar ad Francos Carausij hostis auxiliares progressus, pacem illis ita dedit, vt multas eorum familias in Galliæ fines, & in agros Treuerorum, Neruiorumque traduxerit, terrasque hostiles incolis exhauserit, & proprias ante desertas expleuerit. Sed cùm anno Domini ducentesimo nonagesimo Diocletianus Galerium Maximianum, & Maximianus Herculius Augustus Constantium Chlorum adoptasset, sequenti anno Iunio Tiberiano & Cassio Dione coss. iussu Maximiani Constantius ad Belgas profectus, Gessorigiam opidum, quod Gessoriacum Suetonius vocat, in litore aduersus Britanniam situm Carausio ademit: Inde Batauos adortus Cliuiam opidum Romani imperij arctissimè obsidentes, eosque per stagnantiū locorum difficultates (eò quòd Batauiam à Scalde interlutam diuortio suo Rhenus amplectitur) & per siluarum, hostes occultantium, densitates prosecutus, in deditionem adduxit, & Cliuiam ab obsidione liberauit. Tunc igitur Batauia à diuersis Francorum regulis occupata, ab omni hoste purgata est, ac gentes in Romanas nationes translatæ, vt pacem Romani imperij cultu iuuarent, arma delectu. Cliuiam autem Constantius à ruinis restitutam, studiorum etiam celebritate decorauit. Eius filius Cōstantinus princeps optimus & maximus, qui cum Maxentio alijsque tyrannis quatuordecim annis imperauit, primo imperij sui anno, qui erat Christi

ccc. &

ccc.& nonus, Germaniæ inferioris Transrhenanos quosdam populos, iisque finitimos Bructeros, Clamasos, Cheruscos, Vangiones, & Tubantes, tumultuantes fudit fugauitque, & victor Treueros in hiberna regressus est. Causam defectionis Frãcos fuisse arbitror, qui sub eodem Imperatore, victo & occiso Maxentio, fœdus violarant, & irruptionis auctoribus delectis, ad Rhenum transeundi causa venerant. Quamobrem Constantinus ad limites Germaniæ inferioris properauit, vnde cùm recessisset simulato in Germania superiori maioris motus nuncio, dispositisque in occulto ducibus cùm Franci Constantinum cessisse reuera suspicarentur, & ad ripas transeundi gratia conuolassent, Cęsar nauibus Rheno deuectus, in fines eorum è vestigio inuasit, tantamque vastitatem intulit, vt regionem propè deleuerit. Hęc anno salutis humanæ ccc.& xiii. gesta sunt, tertio ipsius Cęsaris Constantini & Licinij Augg. consulatu. Postero autem anno filium suum Crispum Cæsarem Treueros misit, ad fines Germaniæ inferioris tutandos, quos ille egregiè ab omni Francorũ inuasione defendit, nam tertium post annum eosdem rebellantes insigni victoria domuisse legitur. Qui cùm Romam reuersus esset, nuncio allato veteranos in Belgica post eius discessum seditionem cõcitasse, cum patre Constantino vi. consule, assumpto collega Constantino filio, celeritate quanta potuit maxima in prouinciam redijt. Hic Cæsar Augustus cuius præsentia res tanti momenti videbatur indigere, apud Bellouacos, ciuilium munerum, quàm postulabant, vacatione concessa, tumultum sedauit, & Crispo iterum in prouincia relicto, Romam reuersus est. Biennio exacto Constantinum iuniorem misit Crispo successorem, qui vsque ad vitæ exitum laudabiliter ibi præfuit. Circa hæc tempora anno salutis ccc. xxx. Gallicano & Symmacho consulatum obtinentibus, diuisum fuit à Constantino Imperium, atque præcedentium Principum exemplo, vnam partem Orientis, alteram Occidentis Imperij vocauit, totamque Romani nominis Remp. portionibus distinxit. Belgicam similiter, quemadmodum & Germaniam, in primam & secundam certis finibus distribuit; quod posterioribus etiam seculis seruatum est, quàm diu Ro. imperio paruit, & huius diuisionis frequens est mentio in vtriusque imperij Notitia, quæ sub Theodosio iuniore conscripta est, circa quæ tempora Gallis Belgicam occupantibus, eadem prouincia à Romanis, vt apparet, in perpetuum desciuit, vt suo loco infrà commemorabimus. Mortuo tandem Constantino maximo, Constantinus iunior, è Gallia Imperij sui finibus egressus, in Pannonia à Constante fratre suo cæsus est, quâ occasione Franci allecti, fœdere iterum violato Rhenum transiere, totamque Galliam fœdè populati sunt, contra quos Constans castra mouit, & prælio grauissimo cum iisdem conflixit, partâque victoria res Galliæ constituit, anno Domini ccc.xliii. Placido & Romulo consulatu insignibus. Postea Constante è medio sublato Magnẽtij proditione, qui Galliam triennio cum Decentio tenuerat, Constantius Siluanum, tyrannidem Germaniæ inferioris affectantem, Agrippinæ cædi iussit. Sed cùm audiuisset Gallias assiduis Germanorum incursionibus grauiter afflictari, misso Iuliano, quem vt Cæsarem sibi iunxerat, Germani fusi prælio fugatique, Agrippina recuperata; Franci perterriti pacem firmauerunt, eodem illo anno quo Cæsar Constantius consul viii. collegam sibi Iulianum adsciuit, qui fuit Christi quinquagesimus sextus supra trecentesimum. Idem Iulianus in Batauia, quam Salij eiectis Saxonibus occupabant, res gessit maximas, & Salios Batauosque Romanis legionibus, teste Zosimo, asscripsit, ac castella quædam in ripa Mosæ sita, ab hostibus vastata, erexit & restituit. Sed cùm post quinquennium Iuliano Parisijs hibernante, Constantius Imperator eiusdẽ gloriæ æmulus, trecentos Batauos auxiliares pręstantissimos in Persidem secum vellet abducere, orta Parisijs hac de causa seditione, quòd relictis penatibus Transrhenanis hoc pacto ad Iulianum venerant, ne ducerentur ad partes Transalpinas, Iulianus Augusti nomen accipere ab ijsdem coactus est, qui laudatissimi Imperatoris nomen fuisset consequutus, nisi illud insigni in Christum Seruatorem perfidia maculasset. Nouum postea bellum Valentiniani & Valentis tertio consulatu, siue anno ccclxx. in Galliam illatum est à Saxonibus, qui difficultatibus Oceani superatis cuius erant accolæ, Romanorum ditionis fines ingressi in Galliam penetrarant: Cui bello conficiendo cùm præfectus his regionibus Comes Nannienus impar esset, Valentinianus Imperator Seuerum magistrum peditum misit, qui militum ingenti multitudine collecta tantum terrorem hostibus intulit, vt venia confestim & pace petita, domum

ijsdem

ijſdem quibus venerant itineribus,redire feſtinarent, ſed eos Romani ex improuiſo circumuentos,ad vnum omnes trucidarunt. Octogeſimus deinde tertius ſupra trecenteſimum annus Maximi tyranni ſcelere & perfidia apud Belgas memorabilis eſt, qui occupato in Britannia imperio,inſtructiſſima claſſe ad oſtia Rheni exercitum duxit, vbi acceptus à ſtationarijs,prouincias Germaniæ inferioris ſubiecit, atque inde Treueros profectus, vbi ſedem Imperij Gratianus tenebat,eundem deturbauit,& Lugdunum vſque fugientem oppreſſit. Maximus verò meritis affectus eſt ſuppliciis, eo anno qui fuit clade acerbiſſima Romanæ legionis apud Belgas funeſtus, Theodoſio Aug. iterum & Cynegio coss. qui annus Domini trecenteſimus octogeſimus octauus numeratur. Hoc tẽpore Franci ducibus Genobaldo, Marcomiro & Sunone, ſuperato Rheni alueo Germaniam inferiorem hoſtiliter inuadebant, factaque in agris cæde & direptione,Coloniæ Agrippinę vehementer minabantur. Contra hos Nannienus & Quintinus militiæ magiſtri,quibus erat commiſſa Galliarum defenſio,ad ſiluam Carbonariam feliciter initio decertauerunt,ſed Francorum inſidijs, qui metu ſimulato ſe in remotiores ſaltus abdiderant,circumfuſus eſt exercitus,equites paludũ voraginibus immerſi,pedites limo impliciti hærebant. Tum cæſę legionis ordinibus perturbatis,& Heraclio Iouianorum tribuno,ceteriſque ferè omnibus præfectis militaribus aut occiſis aut obtritis, pauci per tenebras noctis & ſiluarum incolumes euaſerunt. Quarto autem ſeculo à natiuitate Chriſti Ieſu exacto, Gotthis, Vandalis & Alanis, ſub Arcadij & Honorij principatu,Romanum imperium pro libidine diſſipantibus, Vandali ſine vllo impedimento Rhenum traiecerunt,& in Galliam penetrarunt, immaneſque in Germania prima ac Belgica ſecunda ſtrages ediderunt, Atrebates, Morinos & Tornacum vicinaſque regiones & opida diripuerunt,anno ſeptimo & quadringenteſimo. Iiſdem ferè temporibus totus Belgicæ tractus Britanniam reſpiciẽs à Francis diuexatus,excuſſo iugo Romanorum,ab eorum defecit imperio, eiectiſque Romanis præſidibus propriam Remp. ex arbitratu conſtituerunt, vt Zoſimus refert,& ex Notitia vtriuſque Imperij colligi poteſt,quæ circa hæc tempora ſcripta fuit,exiguâ admodum Belgicæ ſecundæ factâ mentione,nullâ primæ,quæ tum ab hoſtibus fuit occupata. Franci enim ſub Valentiniano tertio, vigeſimo octauo ſupra quadringenteſimum anno, nouam ſub Rege ſuo Clodione Pharamundi filio, trans Rhenum in Belgicam irruptionem fecere: Cameracum eiecto Romano præſidio,& Atrebatum occuparunt. Clodionem Aëtius militiæ Romanæ in Gallia magiſter,cum Maiorano poſtea Cæſare repreſſiſſe perhibetur, ac paulo pòſt regem Burgundionum Gundicarium Belgas inuadentẽ expuliſſe. Ceterùm Clodio,quem Clodium vocat Sigebertus,anno quadrageſimo quinto ſupra quadringẽteſimum miſſis à Diſpargo caſtello exploratoribus vſque ad vrbem Cameracum, tranſiit Rhenum,& protrito Romanorum populo citra Rhenũ ad Ligerim habitantium, Carbonariam ſiluam ingreſſus Tornacum obtinuit,& inde vſque ad Cameracum properauit. Vbi paruo tempore moratus Romanos ſi quos ibi inuenit occidit, & inde ad Somonam fluuium perueniens omnia occupauit. Sed vbi Meroueus rex Francorum (quem probati ſcriptores, refragãtibus Lazio & Sigeberto non Clodionis filium fuiſſe,ſed tutorem Alberoni legitimo filio ob teneram ætatem conſtitutum,regnum vſurpaſſe affirmant, Aimoinus monachus, Gregorius Turonenſis, alijque complures, Ioannes verò Tilius neceſſarium Clodionis capillati fuiſſe, eiuſque hæredem lateralem decernit) Clodioni ſucceſſit,copiiſque paratis Rhenum traiecit, & in Gallia ſedes fixit,quod eius maiores ſæpe tentatum, nunquã tamen aſſequi potuerunt, à Romanis ſemper exacti,in eâdem regione Valentiniano tertio Cæſare permittente aut non repugnante,Francorum regnum collocauit,Galliæ etiam nomine in Franciam commutato, circiter annum ſalutis cccc. XLVIII. Tum anno vel ſaltem biennio ſequenti Hunnorum rex Attila Belgicam primam & ſecundam deuaſtauit, Coloniam, Tungros, & Metas deleuit, Atrebatum ſuccendit, quod poſtea Vedaſtus Epiſcopus reſtituit. Mox Valentiniano à milite Aëtij Romæ interfecto, Hildericus, vel vt alij, Chilpericus patri Merouco in Gallia ſucceſſit, regnique Francorum prolatandi libidine magnopere ſtimulatus, hac occaſione Germaniam primam & Belgicam ſecundam, præter ceteros populos, Veromanduos, Atrebates, Cameracenſes, Tornacenſes, Bellouacos, Morinos & Bononienſes armatus inuaſit. Qui cùm propter intoleranda tributa,& nefarias libidines, à ſuis è Belgica in Germaniam pelleretur,

retur, Ægidius magister militum, qui adhuc pro Romanis Suessionem tenebat, in Regem à Francis electus est, quem tandem Francos grauiùs iusto prementem, Childericus octo post annos votis suorum ab exsilio reuocatus, regno deturbauit, cuius fines à Belgica in Celticam produxit, atque illud pulsis inde Alanis multos annos prosperè obtinuit, exacto etiam duce Ægidio, captâ Coloniâ Agrippinâ, multisque Romanorum præsidiarijs occisis. Hunc secutus Clodoueus partum à maioribus in Gallia regnum amplificandum sibi ratus, fugatum armis Suessione Syagrium Ægidij ibidem defuncti filium, ac Romanæ militiæ magistrum, & ab Alarico Gothorum rege deditum, capitali supplicio affici iussit, & Suessione ceterisque eius opidis in fidem acceptis Imperio Romano in vniuersa Gallia finem imposuit. Quo tempore dicuntur etiam Gandauenses pulso Romanorum præsidio ad Francorum iura concessisse. Nec multò pòst Clodoueus de Alemanis Franciam inferiorem siue Belgicam inuadentibus, insigni victoria potitus est, eaque de causa relicto cultu idolorum Christianam amplexus est religionem, circa annum Christi quingentesimum, vel paulò minùs, vt scribunt aliqui. Is regni sede Parisijs collocata, ceteros Francorum regulos eorumque dominia sibi subiecit. In primis Clodoricum Sigeberti Coloniæ reguli filium ob parricidiũ interemit, & ab eius subditis in regem acceptus est. Deinde Cararicum, qui belli contra Syagrium tempore, fidem ex fortuna suspenderat, vnà cum filio capite multauit, & eorum ditionem sibi vindicauit. Fratres postea Clodionis regis nepotes Ragnacharium, quem Cannacarium vocant alij, Cameracensium, Atrebatium & Flandrorum principem, & Richerium prope Camaracum, Rignomerem vel Lingomirum apud Cœnomanos ab Austrasio Galliæ Belgicæ præfecto superatos, à quo postmodum hæc regio Austrasiæ nomen habuit, teste Richardo Wasseburgio, deditosque trucidauit. Sic regulis per Belgicam omnibus deletis regnum per omnem ferè Galliam prolatauit. Post excessum Clodouei Franciæ regno potitus Childebertus, idem cum fratribus Clotario, Clodomiro & Theodorico æquo iure partitus est. Austrasiam regio sceptro decoratam sortitur Theodoricus, (sic enim vocabatur Germania inferior à Mosella ad Rhenum, atque inde ad Albim vsque latè procurrens, Neruios etiam Morinosque complectens, ad reliquæ Galliæ distinctionem quæ illa tempestate Neustria vocabatur) & post eum filius Theodebertus, & nepos Theobaldus. Porrò Clotarius fratribus cùm mascula stirpe demortuis (filiæ enim Childeberti, & eodem exemplo, feminæ omnes, ab eo tempore lege Salica regno Franciæ sunt exclusæ) primus Francorum absolutum Galliæ regnum adeptus est. Quod vbi quinquaginta annis solus obtinuit, rursus ad priorem Tetrarchiam ventum est, regno inter Cherebertum, quem Aribertum alij vocant, Chilpericum, Guntrannum, & Sigebertum Austrasiæ regem quintum, in viriles diuiso. Mortuo Chereberto sine sobole virili, bellum inter fratres super eius portione domesticum exoritur. Chilpericus Cisrhenanas Sigeberti vrbes capit, bellis Trãsrhenanis contra Hunnos & Saxones occupati. Cuius rei indignitate permotus Sigebertus, Suessionẽ fratris regiam cum eius filio Theodeberto in potestatem accepit, Chilpericus Tornacum contendit, vbi obsessus cæso à percussoribus fratre, liberatus est, quo tempore Crasmarus Tornacensis Episcopus fuisse legitur, sed regno potitus vxoris Tradegundis siue Fredegundis scelere exstinctus est, Clotario filio infante relicto. Circa ea tempora Childebertus filius Sigeberti sextus Mediomatricum vel Austrasiæ rex cum vxore, vno eodemque die moriuntur, quorum filij Theodebertus, Austrasiæ regnum habuit, Theodericus Burgundiam obtinuit. Bello deinde inter fratres orto, instinctu Brunichildæ eorum auiæ, Theodebertus in acie prope Coloniam capitur, & à fratre iugulatur. Mortuo quoque Theoderico vniuersa Gallia ad Clotarium redit, qui cum Frisijs vel cum Saxonibus, vt scribit Regino, fortasse cum vtrisque, bellum gessit, & ducem eorum Beroaldum occidit, eamque regionem ita perdomuit, vt omnes virilis sexus incolas, gladij quem gestabat longitudinem excedentes, interfici iusserit. Filius Clotarij Dagobertus viuo patre procurantibus Pipino & Arnulpho prouinciam, Austrasiæ regnum cum Transrhenana ditione possedit, eoque mortuo, reliquo etiam regno Franciæ imperauit. Hic cũ Sclauis bellum gerens, misso ad eorum furorem coërcendum Austrasiano siue Belgico exercitu, cum auxilijs Transrhenanis, regnum Austrasianis reddidit, vt tanquã pro domesticis opibus & gloria alacriùs & constantiùs cum Sclauis pugnarent. Dedit igitur illis Regem filium suũ Sigebertum

natu ma-

natu maiorem, miraculo clarum in prima quadraginta dierum ætate: Cùm enim ab Amando Episcopo Christo initiaretur, nec finita oratione quisquam responderet Amen, cunctis audientibus respondit infantulus. quo in Austrasiæ regnum misso sub tutela Pipini & Cuniberti Episcopi, inuicti fuerunt Austrasiani. Mortuo enim patre, regno Austrasiano contentus Sigebertus, reliquam Galliam fratri minori Clodoueo reliquit, suamque ditionem Austrasianam sic administrauit, vt nulli eum hostes bello lacessere ausi fuerint. Defuncto Sigeberto, & filio eius Dagoberto per Grimoaldum palatij præfectum (sic enim eos vocabant illo seculo qui regni Gallici potentiam obtinebant, Regibus ignauis solo nomine regnantibus) attonso & relegato, filius Grimoaldi Hildebertus nomine Austrasianis obtruditur. Sed eam perfidiam Franci non ferentes, Grimoaldum carceri Parisiis inclusum necant, filiumq; iuniorem Clodouei Childericum Austrasianis regem tribuunt. qui post obitum fratris Clotarij accitus ad Galliæ regnum venit. Sed illo seuerius imperante, Vlfoaldus magister equitum in Austrasiam se recepit, cum magna factionis suæ manu. Post cuius mortem Martinus & Pipinus ab Austrasianis duces creantur; Martinus ab Ebroino equitum magistro interfectus est, principatum Austrasiæ Pipinus Carlomanni filius obtinuit, à quo duces Brabantiæ originem capiunt. E cuius filia Begga Angesilo vel Angisiso, vel vt alij Ansigiso Arnulphi filio nupta Pipinus nascitur, qui Herstallius dictus est. Hic regem Francorum Theodoricum collatis signis vicit, Sueuos prælio fudit, Frisios perdomuit, Radbodo eorum duce fugato. Hos Carolus Martellus, quem Tutidem vocant, Pipini filius, classe ad eos vectus iterum subegit, Popone eorum duce interempto. Martellus verò qui regnum recusabat, vt Regibus imperaret, Francicum sceptrum ex arbitrio moderabatur; factaque inter filios diuisione, Carolomanno reliquit Austrasiæ præfecturam, hæreditariam effectam, Franciç Pipino; sed Carolomanno vitâ monasticâ sua sponte susceptâ, submoto etiam Rege Childerico, Theodorici quarti Chellensis filio, Merouææ stirpis vltimo, vniuersa Gallia Francorum regem Pipinum est amplexa, adhibita ad eius consecrationem Pontif. Romani Zachariæ auctoritate. Pipini verò Austrasij, qui Breuis vocabatur, liberi Carolus ille qui postea magni cognomen meruit, & Carolomannus regnum Francorum partiti sunt; mortuo autem Carolomanno, Carolus regni & mox imperij in Germania molem sustinuit, primusque fundauit, circa annũ octingentesimum. Bella gessit & magna & plurima, & inter ceteras gentes victas, Saxones in deditionem recepit, cùm plusquam viginti expeditiones in illos, & Sclauos, VVestphalos, Frisios, aliasque nationes finitimas transrhenanas suscepisset, pacatis reliquis Belgij ciuitatibus, quarum plurimas tam suâ præsentiâ, quàm multis beneficijs ornasse legitur. Saxones autem, vt sub oculis eius essent, & obseruari facilè possent, nobiles omnes & in quibus aliquid dignitatis elucebat, cum vxoribus & liberis in Belgicam traduxit, Oceani orâ ad incolendum eis datâ, iussoque eam tueri Liderico Comite Harlebecano, maris præfecto & custode Flandrici litoris, eum terra siluaque Flandrica donauit, qui ab eo tempore Saltuarius Flandriæ dictus est, cum tribus principibus Engleranno, Odoacre & Balduino illi succedentibus. Carolo Magno vita functo, Ludouicus Pius imperialia ornamenta suscepit, quo imperãte Normanni Gallias vehementer infestarunt, VValacriam insulam & Andouerpum opidum euerterunt, à Frisijs tributum acceperunt, circa annum XXXVII. supra DCCC. Postea Lotharius Imperator, rex Lotharingiæ, (sic à suo rege dicta est prouincia quæ antea Austrasia vocabatur) Dux quoque magnæ partis Belgij fuit: Diuiso enim inter tres fratres Francorum imperio, Carolo Caluo Occidentales regiones cesserunt, à Britannico Oceano ad Mosam vsque, Ludouico Orientales, Germania scilicet Rheno terminata; Lotharius Imperium, & regnum Lotharingiæ sortitus est: Quod ipso defuncto Carolus & Ludouicus æquis inter se portionibus diuiserunt. Mortuo Ludouico bellum eius filijs intulit Carolus, sed cæso eius exercitu alia prouinciarum partitio subsecuta est, tametsi Carolus Galliam Belgicam in verba sua iureiurando adegit. Is primus Hollandiæ, Zelandiæque prouincias in comitatus erexisse proditur, & Theodorico Comiti easdem ditiones feudali iure dedisse, vt Danos & Nortmannos à finibus Romani Imperij armis depelleret; qui Belgicam vniuersam peruagantes, Ambianum, Atrebates, Corbeiam, Cameracum, Taruannam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachbatensium, omnem circa Scaldim, Mosam & Rhenum regionem ferro & flamma de-
 uastabant.

uastabant. Ab eodem Caluo Flandria quæ à Forestariis siue Saltuariis possidebatur, comitatus dignitatem accepit, sub Balduino Ferreo primo Flandriæ Comite. Ceterùm quoniam ad eum iam locum Belgici principatus, & ad temporum seriem describendo peruenimus, cùm singulæ prouinciæ singulis propemodum Principibus attributæ sunt, operæpretium erit singularum ditionum Principes recensere, vt quo pacto illæ denuò in vnius potestatem coaluerint videamus, & ex hac rerum vicissitudine colligamus, in quanto Belgicę prouinciæ multis retrò seculis semper habitæ sunt pretio, tam multis Principibus, Regibus & populis de earum principatu obtinendo contendentibus. Verùm ne quis fortè in hac principum Belgicorum enumeratione, eorum res gestas, vel in tanta materiæ, factorumque vbertate, magis accuratam in singulis principibus percensendis descriptionem, copiam in ornãdis, & in amplificandis artificium desideret, pictores sese auctor imitatum profitetur, ingentem sæpe hominum in exigua tabella multitudinem exprimentes, cum vultibus nonnullorum confertim informatis, vel summis solùm capitum verticibus eminentibus, reliqua corporum lineamenta abscondisse videntur: ita principum Belgicorum facta laudibus dignissima, aliis vel aliâs explicanda relinquuntur: nam sola hic successio dominatus, atque principes, velut in theatro spectandi proponuntur.

LOTHARINGIÆ ET BRABANTIÆ DVCATVS.



SVmpto igitur à Brabãtia exordio, cuius primos Duces suprà enumerauimus, ad regnum Austrasiæ hanc regionẽ pertinuisse sub inferioris Austrasiæ nomine, non est qui ignoret. Mutata postea per Lothariũ appellatione Lotharingia dici cœpit; eaq; rursus duplex, donec dux Henricus III. Lotharingiam inferiorem in Brabantiam cõmutauit, atq; Lotharingiæ titulo adiunxit, vt ex eius diplomatis, quæ adhuc exstant, liquet. Cõprehensus fuit igitur sub nomine Lotharingiæ, Brabantiæ ducatus, ab anno supra sexcentesimum vigesimo, cui dux primus Pipinus fuit Carolomanni filius. Pipino filius Grimoaldus successit. Eius soror Begga Ansigiso nupserat Arnulphi filio, qui tertius ducum Lotharingiæ numeratur. Deinde Pipinus secundus, Carolus Martellus, & eius frater Pipinus Breuior Francorũ rex, Carolus Magnus Dux, Rex & Imperator, Ludouicus Pius, & Lotharius Augusti. Filius Lotharij rex fuit Lotharingiæ, & sub illo titulo Brabãtiæ Dux decimus, cuius patruus Carolus Caluus vndecimus recensetur. Tametsi sunt qui putent neq; Lotharium, nec eius filiũ, si legitima Brabantinorum Principũ series seruetur, hoc loco ponẽdum, Carolumque Caluum nonum ordine collocandum. Successit Carolo Ludouicus filius cognomento Balbus, cui filius posthumus natus est, Carolus Simplex appellatus. Sed in pupillari eiusdem ætate Galliæ regnum, & vtraque Lotharingia à diuersis tutoribus administrabatur. Multa iidem & valdè præclara contra Normannos aliosque Barbaros bella gesserunt, & vt reliqua omittamus, memorabili victoria Arnulphus Imperator pupilli nomine potitus est in agro Louaniensi, cęsis plusquam nonaginta millibus Normannorum. Cùm autem Carolus Simplex anno ætatis decimo sexto Franciæ regnum ægrè defenderet, inito fœdere cum Romanorum rege Henrico, Lotharingiam illi cessit, & quartum decimum principem statuit. At verò Henricus Lotharingię & Brabantię Ducem beneficiarium Gisilbertum nomine, primus instituit: Quemadmodum Cęsar Otho Henrici filius patris exemplo eosdem ducatus in beneficium contulit. Eiusmodi autem Duces velut Præsides prouinciæ serie continua quatuordecim numerantur; qui sic constituti ab Imperatoribus pro legitimis Lotharingiæ possessoribus sunt habiti. Hæc forma eiusdem ducatus conferendi circa annum nongentesimum vigesimum septimum, primùm sumpsit initium. Nomina recensentur supradictus Gisilbertus, Henricus Othonis Imperatoris frater aliquot opidis illi in Lotharingia assignatis, Ducis titulo abstinuit, quo filius Gisilberti emicuit, sed eius ętate nondum confirmata prouinciam administrauit Otho filius Richuini, postea Conradus Othonis Cęsaris gener, agnomine Sapiens, vt ait VVasseburgius, tum Bruno Archiepiscopus Coloniensis Cæsaris item frater, Archiducis Lotharingiæ titulo insignis, illi successit Carolus Lotharij Francorum

corum regis frater Othonis II. Imperatoris beneficio, vtriusque Lotharingię dux primus institutus anno nongentesimo octogesimo primo. Carolo successit filius Otho; quo sine liberis maribus extincto, & exclusa eius sorore Gerberga, alia inferioris Lotharingiæ diuisio introducta est, per Lambertum Ragineri Longicolli Montensis Comitis filium, qui comitatum Louaniensem cum magna Lotharingiæ Brabanticæ portione, Bruxella, Niuella, aliisq; opidis, ex parte coniugis suæ Gerbergæ iure hęreditario sibi retinuit; tametsi Imperator Henricus secundus quicquid in hoc ducatu erat reliquum præter comitatum Louaniensem, Gothofredo comiti, Gothofredi Arduennensis filio dedit, circa annum Domini Millesimum & quintum. Regionis hæc distractio annorum integrâ centuriâ locum obtinuit. Lambertus enim in pugna occisus cùm Dux Gothofredus Ardennensis comitatum Montensem populabundus intrasset, eumque Raginerius Montensis comes cum patruo Lamberto Florinas vsque persequeretur, anno Millesimo & decimo quinto, vt notauit Sigebertus, in comitatu Louaniensi successorem habuit filium suum Henricum comitem Louanij, & Marchionem S. Imperij, cuius caput est Antuerpia; illo per Hermannum, quem captum detinebat, Louanij occiso, & filio Othone paucis à paterna cæde mensibus elato, ad fraternam Henrici ditionem Lamberto secundo, qui Baldricus etiam dicebatur teste Sigeberto, patuit aditus, quem secuti fuerunt tres ordine Henrici, II. III. & IIII. & Gothofredus Barbatus eiusdem Henrici quarti frater. Dono verò Imperatoris Henrici secundi, comes Gothofredus Arduennensis, bello contra Frisios captus, impetratâ iisdem veniâ dimissus, ac paulò pòst è viuis sublatus fratrem Gothelonem Bononiæ comitem sanguinis vinculo successorem habuit: Cuius filius Gothofredus Henrici tertij Cæsaris beneficio armis extorto, Lotharingię ducatum obtinuit; Mosellanorum enim ducatu illi negato, (quem Henricus Cæsar duci Longicastri in Alsatia Alberto, illoque occiso, Gerardo Alsatio attribuerat) reiecto quoque Lotharingiæ ducatu (quem Friderico Lucemburgensi idem Cæsar contulerat, quo mortuo eundem Gerardus tertius Alsatius occuparat ex donatione Henrici quarti Cęsaris) contra Cęsarem bellum gessit, priusquam ei Henricus indulserit, deprecatore Leone nono Pontifice Romano aliisque principibus. Eum tamen Imperator postea non minus suspectum habuit, quòd gratia valeret apud Italos, accepta in vxorem Beatrice Bonifacij Montisferrati marchionis potentissimi vidua, fratre etiam eius, qui Fridericus vocabatur, ad culmen Romani Pontificatus euecto, ac nomine Stephani IX. in annales relato, anno Domini CIↃ. LVII. Prædictus dux Gothofredus, filium in ducatu Gothofredum reliquit, corpore quidem pusillum & strumosum, sed animo præstantem & eximium principem. Frisios enim Orientales aggressus ad internecionem penè deleuit. Tum illo Antuerpiæ per Frisium quendam sicarium interfecto, (de qua cæde Robertus Frisius Flandriæ comes, vel iuxta VVasseburgium Henricus Augustus non benè audiebat) Henricus IV. Imperator eodem ducatu Conradum filium suum ornauit, qui cùm à patre desciuisset, & in rebellione Romæ obiisset, Gothofredum Bullionium & Bononium (sicut è Segeberto teste probatissimo demonstrat VVasseburgius) Eustathij Comitis Bononiæ ex Ida sorore Gothofredi Gibbosi filium, quem etiam hæredem Gibbosus nominarat, non tamen à Cæsare (qui ad imperium rediisse Lotharingiæ ditionem asserebat, quod Gothofredus Gibbosus sine liberis decessisset) nisi rebus pro illo fortissimè gestis admissum, eidem substituit, qui postea acerrimus Christianæ religionis propugnator, virtutum suarum dignitate, regnum Hierosolymitanum meruit: Cui cùm frater Balduinus in regno successisset, anno millesimo & centesimo, atque is in Asiatica expeditione versaretur, & eorum frater natu minimus Guilielmus Ioanuillæ dominus, Lotharingiæ sine ducis tamen titulo præesset, quem ad se pertinere Balduinus contendebat, eoque absens vtebatur, Henricus Imperator, post obitum Gothofredi absente Balduino & repulso Guilielmo, Henricum Limburgensem ducatu Lotharingiæ donauit, qui breui eodem spoliatus est ab Henrico V. vt in Limburgensibus Dynastis referemus. Henrico autem IIII. Louaniensi comite Tornaci in equestri certamine perempto, Henricus Imperator fratri eius Gothofredo Louaniensi, qui Barbatus dicebatur, filiam suam Sophiam Henrici V. sororem matrimonio, hæreditaria autem donatione vniuersæ Lotharingiæ inferioris ducatum dedit, qui eiusdem integram proprietatem, quâ maiores eius, Gerbergâ ab Arduennatibus exactâ, centum annis caruerant, (exce-

pto comitatu Louanienſi)cum Cæſaris beneficio qui reliquam partem ei conceſſit, ceu quadam conſolidatione recepit. In hac ſeculi periodo initium ſumpſit ducatus Lotharingiæ manifeſta diuiſio, ſuperiorem Theodoricus Bulloniorum fratrum Regumque Paleſtinæ ex Guilielmo nepos,contra Toparcham Limburgenſem,& Barbatum Cæſaris donatarios, armis ſibi aſſeruit, vnde iure ſucceſſorio principes Lotharingiæ ad nos vſque deſcenderunt. Inferiorem Barbato ceſſit, quæ poſt annorum ſeſquicenturiam in Brabantiam eſt mutata ab Henrico tertio Lotharingiæ & Brabantiæ duce. Porrò Gothofredus cõtra Arnoldum Berthaut Grimbergenſium dominum, in fide clientelari præſtanda contumacem, bellum proſperè geſſit: eiuſque poſteritas ducatum obtinuit, Gothofredus ſecundus, qui contra ducem Henricum Limburgenſem arma tulit, Lotharingiæ ducatum, quo Henricus quartus eum donarat, quintus priuarat, repetere affectantem, & Lotharingiam ingreſſum, lateque rapinis & cædibus deuaſtantem profligauit, recepto deditoque D. Trudonis fano & ciuitate Aquiſgrani, quæ à partibus Henrici ſteterant. Hoc bellum Barbato aſcribit VVaſſeburgius, Brabantiæ verò chronici filio eius Gothofredo, quos in hoc tractatu Brabantiæ ducum ſequimur. Poſt hunc tertius Gothofredus in aciem bello contra Grimbergenſes in cunis delatus, præſentiâ ſuâ militiam animauit, vt ex hoc prælio victores euaſerint Ducta porrò Gothofredus vxore Margareta Henrici Limburgi Ducis filia, omnem quę illis principibus interceſſerat controuerſiam diremit. Et à ſuſcepta ſacra expeditione reuerſus occubuit, Henricum filium Lotharingiæ ducem hæredem relinquẽs, multis poſtea rebus fortiſſimè geſtis nobilem. Huic filius Henricus nomine, ſecundus ordine, ſed à bellica virtute animoſus appellatus: illi Henricus tertius, qui pius vocabatur, primus Lotharingiæ & Brabantiæ titulo vſus, ſucceſſorio ordine hæres extitit. VVaſſenburgius tamen Brabantiæ ducis titulum Barbato attribuit, cuius tempore introducta eſt inferioris Lotharingiæ à ſuperiori ſeparata poſſeſſio. Tres illos Henricos totidem Ioannes in ducatu ſubſecuti ſunt. Quorum primus, ius quæſitum in ducatu Limburgenſi armis vindicauit; Alter dominij Machlinienſis dimidia parte emptione potitus eſt; Tertius rerum belli togęque geſtarum gloria & multitudine ambiguum reliquit, an ceteri Principes & Reges ſui æui, plus eius virtutes ſingulares admirati, an eius potentiam veriti fuerint. Illo autem cum liberis virilis ſexus mortuo, Ioanna eius filia principatum obtinuit, quæ priore marito Hannoniæ & Hollandiæ comite Guilielmo à Friſijs cæſo, nupſit VVenceſlao Bohemorum regis filio, Duci Lucemburgẽſi, cui iure matrimonij Brabantiam adiunxit, anno ſupra milleſimum treceteſimo quinquageſimo quinto. Qui cùm ſine liberis vita ceſſiſſent, Philippus Audax Ioannis Francorũ regis filius Dux Burgundię ducta Margareta Ludouici Malani Flandriæ comitis ex Margareta Ioannis tertij Brabantiæ ducis filia, ſorore Ioannæ, Ducatum eundem dotalem accepit, & ex ea illuſtrium liberorum parens Ioanni Burgundiam, Flandriam & Arteſiam, Antonio Brabantiam & Limburgum reliquit. Sed filijs Antonij, Ioanne & Philippo ſine prole legitima deſideratis, Philippus dux Burgundiæ, filius Ioannis quem Intrepidum vocant, ad patrui Antonij, in locum patruelium, ſucceſſionem venit. A quo tempore Burgundię Brabantiæque ducatus, ſub vno principe coniuncti permanſere. Ac præter eoſdem inſignis ille princeps, reliquis ferè omnibus inferioris Germaniæ titulis & prouinciis, priuato iure ſanguinis, vel propinquorũ hæreditate, aut emptione potitus eſt, vt in ſingularum ditionum Belgicarum principibus recenſendis infrà declarabimus. Succeſſit Philippo Carolus Audax, quem Pugnacem alij nominant, alij item Bellicoſum. Eius vnica filia & hæres Maria, Cęſari Aug. Maxæmyliano nupta, Ducatum Lotharingiæ atque Brabantiæ cum reliquis Belgij potentiſſimi prouinciis Auſtriacę familię in dotem contulit, decem hoc ęuo Imperatorum altrici, cui Philippus Hiſpaniarum rex primus, eidem Carolus v. Imperator, victor, triumphator, illi Philippus II. ſucceſſit monarcha inuictiſſimus, Philippum tertium huius ſeculi columem hæredem relicturus.

Atque hæc de Lotharingiæ & Brabantiæ Ducibus explicata ſufficiant, ad declarandam egregiorum Principum, qui illis præfuerunt, ſeriem & originem, & ad noſtra vſque tempora ſub Philippi ſecundi imperio incremẽtum. Porrò quod ad numerum attinet denarium cum ſeptenario, quo Belgicæ ditiones hodie circumſcribuntur, vtriuſque ducatus titulo Lotharingiæ

ringiæ & Brabantiæ Principes nostri cohonestantur, eundemque illum numerum totidem prouinciarum possessione expleuerunt, priusquam dominium Vltraiectense accederet. Quamobrem etsi Belgica ditio nomen Galliæ reliquit, neque primæ vel secundæ Belgicæ limites seruantur, & vtriusque Austrasiæ exoleuit appellatio, mutatoque Mosellanæ prouinciæ nomine, Serenissimi Guisię gentis Principes superiorem Lotharingiam potestate & titulo familiæ vindicant, nostri tamen Principes ab antiquo Lotharingiæ nomine ante Brabantiam acquisito minimè recedunt. Itaque ad Limburgi, quod tertium est ordine, eiusque ad reliqua dominia accessionem describendam progrediamur.

LIMBVRGI DVCATVS.

NIHIL igitur de Limburgica prouincia inuenio antiquius, quàm in quadam Geldrensiũ historia manuscripta, de quodam Henrico comite Limpurgi, qui tẽpore Henrici III. Augusti, anno millesimo & quinquagesimo cũ VVolfranno abbate Prumiensi dissidiũ habuit: De eius autem stẽmate variant auctores; VVolfangus enim Lazius ad duces Mosellanos originẽ refert, à Theoderico Guilielmi comitis Bononiensis filio in Hermannũ Mosellanum, quem ex duabus vxoribus Gerberga Burgundica, & Heduiga Hannoniæ comitissa, Henricum & Fridericũ comites Limburgẽses, genuisse describit, & eorum priorem, Henricum & Hermãnum stirpis suæ vltimos reliquisse. Alij autem genus Henrici Limburgici, ad Lotharingicum stemma quidem referunt, sed Guilielmum Bullionium Eustathij filium Gothofredi, Solymorum regis fratrem, illi patrem attribuunt, parum tamen verisimili argumento, quia eiusdem Guilielmi vtriusque sexus liberi à ducum Mosellanorum scriptoribus, & à Richardo VVasseburgio recensentur: Theodericus nimirum, qui post patrem Lotharingiæ superioris ducatum tenuit, & continuata ad posteros successione ad Serenissimum Carolum tertium transmisit, principem Galliarum hoc æuo sapientissimum. Deinde Henricus in Guilielmi filiorum albo reperitur, qui Theresiam Alphonsi VI. Castellæ & Legionis regis filiam duxit, acceptâ loco dotis & pręmij Lusitaniâ, quam heroica virtute à Saracenorum furore liberarat. Ex hoc autem toro Alphonsus ille natus est, qui Rex in castris à suis salutatus, regni Portogalliæ fundamenta primus iecit. Quod equidem magis credibile existimo, quàm eorum sententiam, qui Henricum Limburgensem Henrici Exducis filium Theresiæ maritum dant, neque vllam tamen rationem afferunt, cur idem Henricus à paterna hæreditate vel à titulo abstinuerit, cùm eundem describant tanquam primogenitum, nec alium eius fratrem vsquam commemorent; vel si per iniuriam aut pater aut ipse Limburgo exactus fuit, cur Lusitaniæ regnum adeptus, regisque Hispaniæ affinitate subnixus, res suas armis repetitum non venerit. Tertius autem filiorum Guilielmi, Gothofredus vocabatur Ioanuillæ dominus Ioannæ Harcurtij comitis filiæ maritus. Quartus fuit Albertus Archiepiscopus Moguntinus. Reliqui fuerunt: Theobaldus, Ida, Agnes, Bertha & Elisa. Obijtque idem Guilielmus anno Domini cIↃ. c. xxv. Quisquis igitur pater fuerit Henrici Limburgensis, Gothofredi Bullionij nepotem fuisse, tradit Chronicon Brabantiæ, qui cum fratre Balduino cruce initiatus & in Palestinam ad bellum sacrum profectus est, eorum fratre Guilielmo præfecturam fraternæ ditionis gerente. Verùm mortuo Gothofredo, absente in longinqua expeditione Balduino, & reiecto Guilielmo Henricus Limburgensis inferiorem Lotharingiam & Brabantiam obtinuit, dono Henrici quarti Cæsaris Augusti, qui expugnatis eius castellis (quia orto inter patrem & filium Henricum dissidio & bello, filij partes Limburgensis sequebatur, totamque Lotharingiam miris cladibus affligebat) deditionem facere compulerat; cui gratiam suam Cæsar cum ducatu Lotharingiæ magna vi pecuniæ redimenti concessit. Sed cùm patrem imperij ab Henrico filio insignibus spoliatum, profugumque Henricus Limburgensis reciperet, ab Henrico V. Augusto quòd patrem fouisset, ceu reus Maiestatis exauctoratur, eique ducatus inferioris Lotharingiæ abiudicatur, & Gothofredo Louaniensi, vt supra narrauimus, possidendus traditur. Pòst in gratiam cum Cæsare Limburgensis tandem redijt, quia Sigefridum quendam Palatinum perduellionis accusasset, ducatum verò non recuperauit. Quem cùm armis à Gothofredo secundo repetere tentaret,

taret, ab eodem obſeſſus & fugatus eſt. Hoc autem diſſidium per Margaretæ Henrici filiæ nuptias, Gothofredo III. elocatæ eſt compoſitum. Huius Henrici comitis Limburgẽſis meminit Meyerus, refertque Balduinum Hannoniæ comitem quartum, Henrico Namurcenſi auunculo ſuo auxilia tuliſſe contra Limburgenſem fines Namurcenſium grauiter infeſtantem, anno cIↃ. C. LXXII. Manſit autem Limburgenſis ditio in Henrici familia, primo quidem comitatus titulo, quem ab Henricis Imperatoribus ducatus honore fuiſſe inſignitum Munſterus annotauit. Hoc in prædicti Henrici perſona accidiſſe liquet: nam eum Meyerus ad annum cIↃ. C. XCIIII. bello Namurcico ducem vocat Lemburgẽſem, cui Henricus filius, eiuſque frater Valeranus ſucceſſit, qui Othoni Cæſari cum ſeptingentis equitibus militauit, anno decimo quarto poſt milleſimum & ducenteſimum. Poſtremus horum ducum Hermannus fuit, teſte Lazio loco ſuprà allegato, cui adſtipulatur Henricus Aquilius, diſſentiunt manuſcripti Geldrenſium annales, qui Henricum eum vocant, quemadmodum & Brabantiæ Chronicon. Quicunque autem is fuerit, ne ad coniecturas incertas dilabamur, ſine maſcula progenie defunctum eſſe conſtat, filia vnica Ermgarde relicta, Geldriæ comiti Reinaldo primo nupta. Itaque iure dotali ac hæreditario ducatum Limburgenſem ad ſe pertinere Reinaldus contendebat. Dux verò Brabantiæ Ioannes primus ius ſucceſſionis in ducatu Limburgenſi ab Adolpho comite de Monte, qui vltimo duci Limburgenſi defuncto conſanguinitate proximus erat, certâ pecuniæ ſummâ comparauit, ipſa Ermgarde ante patrem defuncta. Orto ea de cauſa bello, Reinaldus priuſquam manus conſererent, actionem ſuam, ſi quam habebat in ducatu Limburgenſi, Henrico comiti Lucemburgenſi vẽdidit. Sed prælio inito, Dux Ioannes victoria potitus eſt. Lucemburgenſis cum fratribus ſuis, qui à Reinaldi partibus ſtabant, & cum aliis nobilibus in acie cecidit. Geldrenſis in Ioannis poteſtatem viuus venit, non ante dimiſſus, quàm omnem actionem in ducatu Limburgenſi, duci Brabantiæ abſolutè ceſſiſſet. Hanc inter hos Principes controuerſiam de Lucemburgenſi comitatu exortam ſcribit Paulus Æmilius, & Principum nomina hiſtoriamque confundit: ſed noſtris fidem ſcriptoribus adhibemus, qui de Limburgenſi principatu certaſſe dynaſtas illos tradunt. Hunc igitur titulum Ioannes ſecundus à patre accepit, & ab illo tertius, quem filius eius Henricus viuo patre obtinuit, cum Machlinienſis dominij poſſeſſione: ſed illo ſine liberis legitimis defuncto, Limburgum ad duces Brabantiæ rediit, & cum reliquis Germaniç inferioris prouinciis ad duces Burgundiæ, poſtremò ad Auſtriacam domum Auguſtiſſimam, ſerie nunquam interrupta peruenit.

LVCEMBVRGI DVCATVS.

PRIMA dominorum Lucemburgenſium origo, de qua nobis certi aliquid conſtat, exordium à comitatu ſumit (eo tempore quo hæc regio Guerria vocabatur teſte VVaſſeburgio) in quem arx Lucemburgica erecta traditur, à Brunone Colonienſi Archiepiſcopo Lotharingico Archiduce, anno quadrageſimo ſupra nongenteſimum, in gratiam Sigifridi, Ricuino patre nati Moſellano duce. Illi filius Giſlebertus ſucceſſit in comitatu Lucemburgenſi, cuius filij Fridericus, Conradus, & Gothofredus comitis Lucemburgi titulo ſinguli claruerunt; filiam Oginam Balduinus quartus Flandriæ comes, qui Barbatus vocabatur, circa annum milleſimum vxorem accepit. Friderici Lucemburgenſis meminit Meyerus in vita Balduini quinti Flandrenſium comitis; ſuffragante Sigeberto, qui anno cIↃ. LV. hunc Fridericum à Balduino quinto nepote eius Flandrenſi comite & Gothofredo Arduennenſi intra Andouerpum obſeſſum oppugnatumque refert. Quamuis autem idem Fridericus fratribus Gothofredo & Conrado poſt annum quinquageſimum & milleſimum ſuperſtes, comitatus Lucemburgi inſignia retineret, tamen ab iiſdem non abſtinuit Conradus ſecundus eius ex fratre nepos, nec ſecundi filius Conradus tertius, qui Guilielmus quoque vocabatur, nec Henricus eius frater, quod poſteritas Friderici impedire conabatur. Coniugem Fridericus Gertrudem habuit, Gothofredi Barbati ſuperioris Lotharingiæ ducis filiam, vt in principum Lotharingiæ catalogo reperitur. Hi filiam reliquerunt Hermenſetam vel Hermenſidem nomine, quâ ductâ in hoc Principum Lucemburgi albo

ſubſecutus

ſubſecutus eſt Gothofredus Namurceus Alberti tertij Namurcei filius Lucemburgi comes vxorio nomine, filiumque reliquit Henricum cæcum, ætatis ſuæ anno quadrageſimo quinto viſus ſenſu orbatum, qui Gothofredum tertium Brabantiæ ducem iuris aliquid in Namurcum depoſcentem vicit fugauitque, circa annum cIↄ. c. lxx. vt idem Meyerus annalibus intexuit: nam idem Henricus vtriuſque principatus titulo inclaruit, Lucemburgenſis & Namurcenſis, quemadmodum etiam Hannoniæ annales memoriæ prodidere. Huic Henrico maſcula proles nulla fuit, ſed filia vnica Hermẽſidis Theobaldo comiti Barrenſi nupta, ac paterna Lucemburgi hæreditate excluſa; duas etiam habuit Henricus ſorores, vel tres iuxta quoſdã, prima Manaſſi iuncta fuit Regiſtetenſi in Cãpania comiti, ex altera Aleida, natus eſt Balduinus quartus Hannoniæ comes, tertia Iſabella Conradi tertij Lucẽburgenſis coniux, (qui auctoritate Friderici Barbaroſſæ Lucemburgi comes abſolutus fuit, excluſa Hermenſide Henrici cæci filia) Henricum edidit Lucemburgi comitem ab Henrico v i. Auguſto Barbaroſſæ filio confirmatum. Sunt tamen qui contra exiſtimant, traduntque Hermenſidem Henrico patri ſucceſſiſſe, & priori marito Theobaldo Barrenſi non peperiſſe, alteri verò coniugi Valeranno Limburgenſi, Henricum ſecundum enixam eſſe, Lucemburgi comitem. Quam controuerſiam Richardus VVaſſeburgius difficulter conciliari poſſe declarat, ac calculo ſuo priorem approbat ſententiam, & Henricum Conradi tertij filium Lucemburgenſium comitem conſtituit. Ad quem compendij gratia lectorem remittimus. Hunc Henricum ſecundum Henrici vii. Cæſaris auum fuiſſe ex Meyero obſeruaui. Huic natus eſt Henricus tertius Lucemburgicus, qui cum fratribus pro Reinaldo Geldrenſi comite contra Ioannem primum Brabantiæ ducem de Limburgi poſſeſſione dimicans occubuit, anno cIↄ. cc. lxxxix. Succeſſit illi filius Henricus iv. comes Lucemburgi, ad R. Imperij faſtigium euectus, & Henricus ſeptimus Imperator ſalutatus, qui ductâ Margaretâ Ioannis Brabantiæ ducis filia, Ioãnem ex ea filium oculis captum, Bohemiæ regem & comitem Lucemburgi rebus humanis exemptus reliquit. Hic è priori coniuge Iſabella Carolum ſuſtulit, quarti nomen aſſecutum cum inſignibus Cæſareis. Ex altera, VVenceſlaum materno vtero exciſum, parente non enecta, qui à patre Lucemburgum, ab vxore Brabantiæ principatum accepit. Itaque in regum Bohemiæ familia annis plus centum Lucemburgum permanſit. VVenceſlaus fratris Caroli Bohemiæ regis Cæſariſque beneficio Ducales Lucemburgi primus faſces erexit, anno quinquageſimo tertio ſupra milleſimum & trecenteſimum, vt ex Imperiali diplomate liquet, cuius partem Guicciardinus in ſua Lucemburgi deſcriptione inſeruit; quo quidã ſcriptores erroris conuincuntur, qui vel ab Henrico ſeptimo, vel à VVenceſlao Imperatoribus, eundem comitatum ducatus apicem adeptum eſſe putant. VVenceſlao verò duce ſine liberis defuncto, filij Caroli quarti Imperatoris, VVenceſlaus & Sigiſmundus, qui ad culmen Imperij, ordine per vnum Rupertum interrupto, ſinguli aſcenderunt, ambo Luxemburgi principatum tenuerunt. Sed ſtirpe Boëmica ſexus melioris in illis deſinente, ius omne ducatus Luxemburgenſis nepti ſuæ Elizabethæ, ex Ioanne eorum fratre Gorlizij duce genitæ, & Antonij Burgundi coniugi ſecundæ, in dotem vſufructuariam conceſſerunt, centum & viginti florenorum millium promiſſorum nomine. Hæc nullam tori fœcunditatem experta, ducatum Luxemburgi Burgundiæ duci Philippo bono vendidit. Quoniam autem Sigiſmundus Auguſtus ex ſecunda vxore filiam Elizabetham ſuſcepit, Alberto ſecundo Imperatori Auſtriæ Archiduci connubio ſociatam, vnde nati ſunt Laodiſlaus Bohemiæ rex, qui ſine liberis obiit, relictis ſororibus Anna & Elizabetha, quarum hæc Guilielmo duci Brunſuicenſi familiæ Saxonicæ, illa Caſimiro Poloniæ regi iuncta eſt, vtraque ius ſuum quod in Luxemburgo habebat, pretio alienauit: Anna nimirum Philippo Bono partem ſuam addixit, cui propter acquiſitum emptione dominium cum eius marito erat belligerandum: Ab Elizabetha verò quicquid actionis ſupererat, Carolus Audax redemit. Hinc ad Cæſarem Maxæmylianum cum Maria Caroli filia, & ſequentes Auſtriacæ domus Principes, ducatus Lucemburgicus, inter ceteros Germaniæ inferioris titulos ad noſtra vſque tempora feliciter dimanauit. Quem non mediocriter Carolus quintus Auguſtus Imperator decorauit, quòd in ſacro Baptiſmo, Principis Chriſtiani & Imperij exordium, Luxemburgum illi fuerit.

GELDRIÆ

GELDRIÆ DVCATVS, ET ZVTPHANIÆ COMITATVS.



Qvemadmodvm in Brabantiæ ducum ſtemmate deſcribendo conſultò omiſimus, quæ de Brabone, de Tungris, Aduaticis, alijſque populis antiquioribus, ad quos originem quidam referunt, & ab ijs Principibus exordium ſumpſimus, de quibus exigua aut nulla controuerſia eſt: Sic in Geldrenſium quoque genealogia nihil de Sicambris aut Menapiis diſſeremus, nec primos Geldriæ ſatrapas, qui titulo curatoris vel præfecti claruerunt, in hoc opere recenſebimus. Nam à præfectura, vt ferè omnes ditiones, ad ſuum principatum peruenit hæc regio. Siquidem Martino Auſtraſiæ præfecto filius erat Lambertus, à quo ducunt originem primi Geldriæ toparchę; eam enim ditionem adminiſtrabat Guidus, vel vt alij Leopoldus, Lamberti filiorum natu minimus, anno quinquageſimo primo ſupra ſeptingentos, vt tradit VVaſſeburgius. Carolus Magnus Imperator pręſentia ſuavariiſque ornamentis Nouiomagum decorauit Geldriæ metropolim, eamque ditionem cum reliquis regnis, ad poſteros tranſtulit per præſides adminiſtratam, donec domini de Ponte præfecturam ceperunt, feceruntque hæreditariam. Verùm prætermiſſa dominorum Ponticorum primitiua dynaſtia, triumque Vichardorum, Gerlaci, Gothofredi, Mengoſi aut Megengoſi, & Vibingi præfectura, quorum tamen nonnullos comitatu decoratos fuiſſe quidam arbitrantur, ab Othone Naſſouio principatum auſpicabimur, qui accepta Adelheida Vichardi tertij filia, facilè ſibi Geldriæ dominatum acquiſiuit; & generis claritate qua Othones attingebat ac Saxonum duces, & bellica virtute Comitatus honorem ab Henrico tertio Auguſto aſſecutus eſt, circa annum ſeptuageſimum nonum ſupra milleſimum, ſi Lazio credimus, & Zelandiæ Chronicis, vel ſexageſimum primum, ſi Aquilium ſequimur. Is filio ex Adelheida ſuſcepto Geldriam hæreditariam reliquit: Ex altera vxore Sophia VVichmanni Zutphaniæ comitis filia, Gerlacum genuit, qui in Zutphaniæ comitatu ſucceſſit. Sed illo ſine prole è viuis ſublato, Zutphaniæ comitatus Geldrenſibus aſſcribitur, à quibus nunquam poſtea deſciuit. Itaque Gerardus vtrumque comitatum filio ſuo Henrico tranſmiſit, qui cum vxore Seinara Gothofredi III. Brabantiæ ducis filia, Velaniam dotalem accepiſſe legitur; ſuperſtites relinquens Gerardum & Othonem. Gerardus cum antiſtite Traiectenſi decertauit de Velania poſſidenda, hæredem autem belli conficiendi Othonem habuit, & in bonis ſucceſſorem. Poſt illum Gerardus & Otho (ſui vterque nominis tertius) comitatus habuerunt. Patrem Othonem Reinaldus primus ſequitur, de quo inter duces Limburgenſes diſſeruimus. At tanta eius filij Reinaldi exiſtimatio apud Cæſarem & Imperij VII. viros valuit, vt à Ludouico Cæſare Auguſto dux Geldriæ inauguratus ſit, Francfordienſibus comitiis, decimo quarto Kal. Aprilis, anno trigeſimo nono ſupra milleſimum trecēteſimum: quibus annis nonnulli decēnium adimunt, ſed ex Cæſaris diplomate, cuius vidimus exemplum, erroris conuincuntur. Tum diſſidio ſubſecuto inter tertium Reinaldum qui patri ſucceſſerat, cùm annis quatuordecim imperaſſet, & fratrem Eduardum natu minorē, bellum vtrinque deteſtabile eſt exortum, in quo Eduardus ſuperior euaſit, capto fratre Reinaldo, totoque decennio carceri mancipato. Eduardo autem ſine liberis exſtincto, non tamen ciuilis diſcordia quieuit, partibus diuerſis Margaretam & Mariam ſorores defunctorum, acerrimè fouentibus; donec Margaretâ ſine prole defunctâ, Guilielmus Mariæ & Guilielmi Iuliacenſium Ducis filius, ad Geldriæ Zutphaniæque dominia eſt vocatus. Illi frater Reinaldus ſucceſſit: qui ſine liberis ſimiliter obiit, Maria ſorore ſuperſtite relicta, quæ Ioanni ab Arkel marito ſuo peperit Guilielmum Arculanum, qui liberis non progenitis Gorichemi interfectus eſt: Maria eius ſoror inſignia ducalia marito ſuo attulit, Ioanni Egmondæ in Batauia dynaſtæ: quæ ditio comitatus inſignibus eſt ornata à Maxæmyliano Auguſto in VVormatianis Vangionum comitiis, anno ſupra cIↄ. cccc. octogeſimo ſexto, vel iuxta alios nonageſimo ſecundo. Maria primo partu Arnoldum eſt enixa, auunculis ſuis magnis in ducatu ſucceſſorem. Hic ab Adolpho filio principatum inuadente, in vinculis eſt detētus, ſed à duce Carolo Burgundo

gundo liberatus, duobus tantùm annis capto filio imperauit; & memor impietatis, quam Adolphus exercuerat, patremque libertate per scelus spoliarat, successione vt indignum priuare illum statuit, & Burgundi beneficium hoc officio remunerari, vt Geldriæ & Zutphaniæ venditione illi facta, eundem testamento hæredem etiam scriberet. Quod vbi ita factum est, supremum clausit diem. Carolus emptionis & hæreditatis iure in vtriusque Principatus possessionem missus est. Sed exhæredem Principem Maria Caroli filia à paterno funere in integrum restituit, qui pro illo beneficio in ducem belli contra Gallos delectus Flandriam incursantes, ante vrbem Tornacensem circumuentus, occubuit; superstite filio Carolo Geldriæ Zutphaniæque regulo. Is cùm arma in Carolum v. Cæsarem mouisset, hac conditione pacem redemit, vt si prole legitima mortis tempore careret, Geldria & Zutphania Carolo Augusto vel eius legitimis hæredibus cederet. Quod ita etiam accidit, & Guilielmo Cliuiæ & Iuliacæ Duce in ordinem redacto, ac pace à Cæsare clementissimo impetrata, antiquissima & fortissima gens illa Sicambrorum ad Hesperium Monarchatum cum ceteris Belgij prouinciis applicatur.

FLANDRIÆ COMITATVS.



PRODEAT in medium Flandriæ comitatus, cuius quanta sit potentia facilè quiuis animaduertet, qui circumiectas illi prouincias, totamque Germaniam inferiorem apud exteras nationes Flandriæ nomine, omnesque Belgas, Flamingos à Flandris vocari intelliget, ab emporio quod Brugis fuit olim celeberrimum, & à rerum cum finitimis & exteris nationibus gestarum magnitudine vbique notissimis. Quoniam autem prouinciæ Flandriæ antiquitatem suprà retulimus, & à Liderico Harlebecano primo Saltuario siue Foresterio, quem anno septingentesimo nonagesimo secundo in Flandria imperasse scribit Sigebertus, ad Balduinum Ferreum primum Comitem peruenimus; reliquum est, vt ab illo tempore quo ille regnauit, ab anno scilicet octingentesimo sexagesimo secundo, cùm à Carolo Caluo Gallorum rege, Iudithâ eius filiâ in vxorem acceptâ Comitis titulo insignitus est, succedentes illi Principes deinceps prosequamur. Flandriæ finibus Scalde, Somona, & Oceano terminatis (vt contra hostes barbaros Aquilonares regionis situs & interstitium, ac Principis virtus eam defendentis attentiùs pro commodis propriis militaturi, tutissimũ Galliæ propugnaculum foret) Balduinus secundus patri Ferreo successit, Calui cognomentum ab auo materno tralaticium consecutus: filium Arnulphum hęredem habuit, Magnum nomine, quod illi clientium sacerdotio & nobilitate præstantiũ, blandimenta indiderunt, variis ab ipso beneficiis affectorum, aut vitæ eius longitudo ad annos nonaginta & duos productæ, cùm filium suum Balduinum tertium regnare vidisset, eidemque superstes fuisset, & Arnulphi Iunioris nepotis sui imparem regni gubernaculis ætatem senili prudentia aliquandiu sustentasset. Successit Arnulpho Balduinus quartus, à barbæ promissæ venustate nomen habens, cui Cæsaris Henrici secundi indignatio primò grauis & incommoda, postea vtilis fuit; nam Augustus cum Barbato redintegratam amicitiam magno præterea beneficio cumulauit: vt in Zelandiæ tractatu referemus, & in ciuitatis Valentianæ compendio. Hunc sequitur Balduinus ordine quintus, Pius à morum, Insulanus ab opidi cultu dictus. Postea Flandriæ Balduinus imperauit Montensis cognomine, quòd Hannoniæ comitatum à metropoli sic dictum Richildis matrimonio cum Flandria coniunxisset, vtrunque principatũ inter filios impuberes Arnulphum & Balduinũ Montensis diuisit, atq; huic Flandriam, illi Hannoniam testamento assignauit, tutela liberorum Roberto Frisio germano commissa. Illo autem defuncto non solùm tutelam ex formula testamenti Robertus poscebat, sed ipsum principatum, quem animo inquieto iam dudum ambiebat, armis occupauit. Itaque Arnulphus, Flandriæ hæres dominusque legitimus, in ipso ineuntis ætatis flore à patruo Roberto bello petitus in acie cecidit; frater Balduinus Flandria exactus in Hannonia imperauit. Robertus in Flandriam non valdè renitentem armis inuasit, & in nepotum suorum possessionem irruit: quam historiam disertè prosequutum inuenio Lambertum Schafnaburgensem ad annum cIↃ.LXXI. Flandrorum propensa ad Frisium defectio Richildi attribuitur,

attribuitur, quæ muliebri auaritia, & importuna superbia dominatum, quem nomine filiorum tenebat, subditis vniuersis inuisum reddiderat, ad principem Robertum libertatis vindicem gratiosum transeuntibus, partim animis voluntariis, partim cōciliatis. Hic filium nominis & regni consortem superstes habuit, Solymi cognomento à Syriaca expeditione cum gloria reuersum, connubiali fœdere Calixto propinquum, secundo eius nominis Pontifici Romano per coniugem Clementiam Pontificis sororem. Is filium Balduinum successorem habuit, qui à seueritate qua solet in latrones comprehēsos animaduertere, Securis vel per diminutiuū seruato patrię idiomate Securiculę agnomine, ab aliis comitibus Balduinis distinguitur. Qui cùm liberis careret, Carolum Pium ex Canuto Danorum rege & Adela amitinum hæredem instituit, qui Flandriam armis contra Clementiam Securiculæ matrem defendit & retinuit. Quo per scelus nefarium suorum trucidato, ingens exoritur de Flandria controuersia, sed repulsis competitoribus qui sanguinis propinquitate videbantur præferendi, Guilielmus Normannus à patruo Henrico Anglorum rege exactus; Ludouici Crassi Francorum regis opera, Flandriæ comes appellatur; obtrusus potius Crassi auctoritate, quàm subditorum beneuolentia receptus. Qui cùm iisdem artibus & consiliis violentis, quibus cepit imperium, illud etiam exerceret, pecuniæ studium diuturnitati sceptri præ posuit: & Theoderico Alsatio ex sorore Gertrude nepoti, ad Rempub. regendam ab ordinibus accito, maturè locum dedit, qui extincto auunculo principatum recepit, rebus in Syria fortiter gestis clarus. Quemadmodum & Philippus Alsatius eius filius, qui à corpore Flandriæ Artesiam separauit matrimonio Isabellæ ex sorore sua neptis, cui illam regionem codicillis sponsalitiis, dotalem addixit, Philippo Augusto Gallorum regi nuptæ. Alsatio Philippo in Ptolemaidis obsidione morbo pestilēti cum plurimis absumpto, soror eius Margareta cum marito Balduino Hannoniæ comite ex testamento successit. Ex his genitus Balduinus, qui Imperator Orientis creatus à Gallorum proceribus, in Thraciæ expeditione illum comitantibus, Byzantinus vocabatur, Flandris simul & Hannoniis iura dedit. Namurcum ex paterni legati formula Philippo fratri concessit. Postea in Græcia xv. virûm (quos Franci, Longobardi & Veneti, quinos singuli, electioni præfecerant, teste Niceta Choniate) suffragiis Augustus salutatus, in obsidione Adrianopolis captus, fertur in carcere membratim dissectus, filiabus Ioanna & Margareta relictis, quibus nihil ex Cæsarea parentis dignitate præter nomen accessit Constantinopolitanum. Philippus Namurcæus illarum patruus populo parum gratus, summa rerum apud Flandros & Hannonios procuratione & vtraque simul prouincia eijcitur. Ioanna Ferdinando Sanctij Lusitaniæ regis filio coniux datur, ad quem Flandria matrimonio transiit; sed illâ sterili toro defunctâ, soror Margareta imperium suscepit, quod ad filium Guidum transmisit ex Guilielmo Dampierro genitum, qui illud Roberto Betuniensi reliquit, ab opido natali sic appellato. Hunc duo Ludouici subsecuti sunt: Prior, Niuernēsis à natiuitatis, Cressiacus à funeris loco dictus: Alter Malanus à genitali solo nuncupatus. Reliquit hæredem Malanus Margaretam, quę Flandrico diademate Carolum Audacem maritum ornauit: cuius posteri his opibus audaciores facti, non amplius putarunt Gallorum potentiam sibi pertimescendam. Hinc ortus est Ioannes quem Intrepidum vocant, cui successit Philippus ille Bonus, illi Carolus Pugnax, à quo Flandriæ comitatus per filiam Mariam ad Austriæ Principes cum luculentissimis reliquarum ditionum hæreditatibus affluxit, vxorio iure sceptro ad nostra vsque tempora propagato.

ARTESIÆ COMITATVS.


POST Flandriæ comitatum Artesia numeratur, cuius vrbem primariam Atrebates habitant antiquissimi populi, Iulio Cæsari non ignoti, quibus superatis Comium regem constituerat, opera eius fideli & vtili in expeditione Britānica vsus, pro quibus meritis ciuitatem eius immunem esse iussit, iura legesq; reddidit, ipsisque Morinos attribuit. Post Comij regis mortem, Atrebates cum ceteris Belgij populis Romanis paruisse, deinde Francis credibile est, donec à Clodoueo Francorum rege Ragnacarius vel Cannacarius Atrebatensium princeps & eius tractus quà Flandria continetur cum fratribus

fratribus interemptus est. Ceterùm Artesiam in Flandrica prouincia fuisse comprehensam non est obscurum, & Carolum Caluum Francorum regem Balduino primo Flandriæ comiti, cuius metropolis Atrebatum erat, cum Iuditha filia in dotem contulisse ex annalibus liquet; & Balduinum Caluum caput Flandrici principatus ibi constituisse, & eundem in hac principum Flandricorum familia perpetuò mansisse, donec Ioannes Atrebas à Balduino Pio bonis omnibus exutus tota Flandria pelleretur, vt Meyerus testatur. Continuata est possessio vsque ad Philippi Alsatij tempora, qui ea Flandriæ occidentalis parte, quæ Artesiam complectitur, Ludouici septimi Francorum regis filium Philippum maritum Isabellę neptis suę tabulis dotalibus locupletauit. Vnde postea grauis discordia ac bellum plusquàm quinquēnale exoritur, Flandris eam prouincię distractionem, sine ordinum populique suffragio à principe factam, indignè ferentibus. Tandem pace inter Philippum Augustum & Balduinum Flandriæ Hannoniæque comitem inita, Artesia Philippi filio Ludouico arbitrorum sententia transscribitur, qui filium Robertum Artesiæ hæredem testamento nuncupauit, & Sanctus Ludouicus prouinciam honoraria comitatus prærogatiua decoratam, anno cIↃ.cc.xxiv. eidem Roberto fratri suo concessit, qui illam filio Roberto reliquit. Ille filio Philippo superstes, sola Mathilde filia relicta, inter viuos esse desiit. Tunc orta controuersia de Artesiæ comitatu inter Robertum Philippi filium, ipsamq; Mathildem eius amitam, sententia in curia Parisiensi pro Mathilde iam defuncta, lata est, contra Robertum eius nepotem, iure appennagij, quo masculi feminis præferuntur, & naturæ, quo ad auita bona nepotes vocantur, propinquiorem. Sed quia Robertus falsis præstigiis tabulisque confictis in hac lite vsus erat, pro femina bis fuit pronunciatum. Hanc tamen sententiam ad gratiam potiùs nonnulli referunt, quàm ad odium iniquitatis, eo quod Mathildis filiam suam Ioannam natu maximam Philippo Longo regis filio despondisset. Ex hoc toro genita fuit Ioanna, quæ Odoni duci Burgundiæ nupta, Philippum reliquit, ducem comitemque Burgundiæ & Artesiæ. Illi Philippus secūdus hæres fuit, sed obiit sine sobole pubertatem vix egressus. Burgundiæ ducatus ad Ioannem Gallorum regem transiit, natum ex Ioanna Odonis Burgundiæ ducis sorore, Burgundiæ verò Artesiæque comitatus Philippi Longi affinitate ad principum Flandricorum familiā rediit, filiâ eius Margaretâ Ludouico Niuernio Flandriæ comiti in vxorem datâ. Ex quo matrimonio Ludouicus Malanus procreatus est, qui Flandriam cum Artesia obtinuit, & filiæ suæ Margaretæ reliquit, quæ vtrumque comitatum Philippo Valesio vel Audaci Ioannis Gallorum regis filio in dotem attulit; Inde ad Ioannem, Philippum Bonum, & Carolum Burgundos Artesia peruenit; eamque prouinciam Ludouicus xi. cæso prope Nanceium Carolo armis inuasit, & nomen gentis Atrebatum exstinguere conatus est, mutata in Francisiam appellatione. Recuperauit tamen Artesiam Maxæmylianus Augustus, eamque Philippo Austrio cum ceteris prouinciis pacatam reliquit, & Belgij ditionibus deinceps annexam.

HANNONIÆ COMITATVS.

HANNONIAE prouinciam olim in silua Carbonaria sitam, nunc quoddam Belgicæ nobilitatis seminarium, obtinuerunt Principes, iuxta VVasseburgium, & annales Hannoniæ, è regis Francorum prosapia descendentes; per filium eius natu minimum Albericum vel Auberonē in quatuor VValteros ad sanctas VValtrudem & Adam siue Adelam, hinc ad Clotildem earum sororem, eiusque filium Brunulphum delato Hannonum imperio, à Dagoberto interfectum, exactis eius filiis Brunulpho, Almerico, Hidulpho & Glomerico, quos rex Austrasiæ Sigebertus restituit. Alberico filius VValterus siue VValtericus successit, illi VValterus secundus, qui pro rege Francorum Pipino militauit, sicut eius filius VValterus tertius pro Carolo Magno contra Saxones pugnans occubuit, circa annum octingentesimum. Sed deficiente masculorum sobole, Maldeberta VValteri filia maritum Alberonem nobilissimo huius tractus comitatu ornauit, Caroli Magni assensu: ex quo toro Albon est genitus, qui Manassis pater fuit, ille Ragineri primi agnomine Longicolli parens extitit, comitis Montensis; sic enim vocabatur à metro-

poli quæ Montium nomen adhuc retinet, & Castri locus dici solet. Idem Raginerus insignibus comitatus ab Othone Cæsare eiusque fratre Brunone Coloniç Archiepiscopo spoliatus, quod regnum bellis perturbaret, vel quòd Gerbergam Gisleberti Mosellani ducis viduam, Augusti sororem, bonis à marito relictis eijceret, circa annum sexagesimum supra nongentesimum, bonis suis publicatis obiit, superstites relinquens filios Raginerũ & Lambertum, qui ad regem Lotharium confugerunt. Raginerus Montensem comitatum recepit, Garnero & Ramnoldo eius ditionis vsurpatoribus prope Peronam cum exercitu deletis. Sed ab Arnulpho secundo Flandriæ, & Gothofredo Arduennæ comitibus, Montensis eiusque frater Lambertus, qui Lotharingiæ ducatum recuperare sæpe tentarat, denuò pulsi, tandem auxilio Hugonis Capeti Franciæ postea regis, cuius filiam Hauidam Raginerus vxorem habebat, superiores euaserunt. Lambertus matrimonio Gerbergæ, Lotharingię legitimæ hæredis, Louaniensem comitem se fecit. Raginerus Montensem comitatum retinuit, tametsi iuris Imperialis esset, conniuente Henrico Cæsare, inter Diuos relato, qui fratres bellicosos ob eorum virtutem & potentiam ferendos potiùs, quàm armis denuò lacessendos putauit. Postquam autem Raginerus secundus fati munus expleuisset, eiusque filius Raginerus tertius aliquot annis imperasset, vt Hannonici testantur annales, & patruo suo Lamberto Louaniensi auxilium tulisset contra Arduennenses de recuperanda Lotharingia dimicanti & occiso, ipse anno CIↃ. XXIX. ex hac vita migrauit; filia Richildis hæres principatus superstes fuit, quam defuncto Hermanno Arduennensi eius marito vi abductam Balduinus quintus, Flandriæ comes filio suo Balduino sexto vxorem adiunxit. Tum bellum ob nuptias coactas excitatum, vtilibus Balduino, qui Montensis à dotali comitatu vocabatur, conditionibus sedatum est, Hannonicâ ditione citra controuersiam illi attributâ, cum opidi Tornacensis agrique accessione. Vxorem autem viduam relicturus Balduinus, cum duobus filiis Arnulpho vel Arnoldo, & Balduino impuberibus, huic Flandriam, illi Hannoniam testamento assignarat, fratrique Roberto quem Frisij agnomen meruisse supra diximus, tutelam liberorum suorum commiserat. Robertus fratri Balduino superstes tutelam è vestigio in dominatum conuertit. Profuga cum duobus pupillis Richildis à Philippo rege Galliæ auxiliares copias impetrat, quas Frisius adortus adhuc imparatas capta Richilde disiecit fugauitque. Sed cùm & ipse in hostium potestatem è prælio venisset, mutua redemptione vterque suis redditur. Postea cùm signis iterum collatis dimicaretur, Arnulphus comes ex equo deturbatus à milite iugulatur; Richildis & Balduinus in Hannoniam se recipiunt. At mulier animosa, altero filiorum suorum orbata, altero legitima hæreditate eiecto, cùm opem in Francis exiguam inueniret, ad Episcopum Leodiensem Theoduinum conuersa, Hannoniam eius ditioni subiecit, consensu Henrici Imperatoris, Episcopi professa sese fiduciariam; à quo impetrata magna vi pecuniæ, nouum cum filio bellum, conatu non satis procedente, instaurauit. Ducta porrò Balduinus Ida vxore, quæ Lamberti II. vel iuxta alios Henrici II. Louaniensis soror erat, aut eiusdem Henrici filia, vt VVasseburgius opinatur, suscepit ex ea præter reliquas proles Balduinum secundum Hannoniæ comitem. Ille Balduinum tertium ex Iole vxore, Geldriæ reguli filia, genuit, qui ex Aleida Gothofredi comitis Namurcẽsis filia Balduinum sustulit cognomine Magnanimum. Hic Flandricæ & Hannonicæ nobilitatis consensu Margaretam Philippi Alsatij sororem, principatus Flandrici hæredem coniugem habuit, & ex illo toro Balduinus prodiit, per quem Hannonia rursus Flandriæ copulatur, rectęque comitum lineæ restituitur, vnde vi & armis à Roberto Frisio auulsa fuerat, annis circiter centum & triginta. Ceterùm hic Balduinus Flandriæ octauus, Hannoniæ quintus comes, & primus Orientis eo nomine Imperator, sine prole virili miserabili fato & supplicio interceptus, Ioãnam & Margaretam hęredes reliquit. Sed cùm Ioanna neq; filio Sanctij Lusitanorum regis Ferdinando, neq; Thomæ Allobrogum Principis fratri, quibus suo cõiugio Flandrici comitatus & Hannonici insignia attulerat, peperisset, vtramque prouinciam obtinuit Margareta. Quæ cùm antea Burchardi Auenniensis tutelæ & fidei commissa, eidem etiam contra leges nupsisset, soluto per legitimum impedimentum matrimonio, Guilielmo Dampierro secundis nuptiis sociatur, filios è tutore Ioannem & Balduinum, ex Dampierro, Guilielmum, Guidum, Ioannem, & Mariam eni-

riam enixa. Tum verò inter fratres vtriusque tori orta contentione, Guilielmus in Flandriæ comitatum succeſſit, Ioannes Auennienſis pacto cum fratribus reliquis inito Hannoniam retinuit, Innocentio quarto Pontif. Max. ad quem D. Ludouicus rex Gallorum, de iure priorum nuptiarum cauſam reiecerat, matrimonium approbante, & filios inde natos ſententia Apoſtolica legitimos declarante. Auennienſis autem filium nomine patri ſimilem, ſed maiorem potentia habuit. Nam Ioannes Hannonius Aleidam Florētij quarti Hollandiæ comitis filiam petiit, duxitque, quæ mortuo fratre Guilielmo, eiuſque filio Florentio quinto, & ex eo genito Ioanne primo Hollandiæ comite ſine liberis vita functo, comitatus Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ iure hæreditario Hannonię adiunxit, & ad duos Guilielmos Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæque comites ſuo ordine tranſmiſit, quorum prior nomen Boni virtute ſua meruit: Poſteriori ſine prole defuncto Margareta Auguſta ſoror eius ſucceſſit, ex qua Ludouicus Bauarus Cæſar Guilielmum genuit, & Albertum duces Bauariæ, Hannoniæ Hollandiæque comites. Albertus fratri mentis inopi ſuperſtes, partim nomine curatoris, quem Ruardum vocant, partim Principis titulo prouincias rexit, filioque Guilielmo poſſidendas reliquit; cuius hæreditatem Iacoba Bauara filia vnica adiit ex patris voluntate, ſubditorumque conſenſu, bonis omnibus tituliſque fruitura, niſi Ioannes eius patruus Leodienſium antiſtes inſignia principatus ſacerdotio prętuliſſet, & neptim, quæ in polygamia quartò repetita, nunquam peperit, iis armis artibuſque laceſſiuiſſet, quibus illa fatigata, Philippo Burgundo præter reliquas prouincias Hannoniam quoque tradidit, ex vtroque parente hæredi legitimo. Atque hac ratione comitatus nobiliſſimus longeque ſplendidiſſimus à ſtirpe Mōtenſium ad Flandriæ comites, inde ad Batauicam, deinde ad Bauaricam, ex illa in Burgundicam, poſtremò in Auſtriacam familiam deſcendit.

HOLLANDIÆ ZELANDIÆQVE COMITATVS, ET FRISIÆ DOMINIVM.

IN COMITVM Hannoniæ præcedenti deſcriptione, quoſdam Hollandiæ etiam Comites attigimus, quorum ſeries ab initio ſuo loco eſt repetenda. Igitur Batauia Pop. Romano quondam ſocia, vt ſupra oſtendimus, vt illa prætermittam, quæ de hac gente & antiqua regione Cornelius Tacitus memoriæ prodidit, declinatâ Romanâ potentiâ, frequentibus Normannorum Danorumque populationibus fuit obnoxia, qui cùm vlterius in Galliam irrumperent, illorumque incurſus ægrè Franci ſuſtinerent, Carolus Caluus eandem prouinciam viro bellicoſo tradendam cenſuit, qui dum propriam ditionem ſtrenuè defenderet, ipſoſque Normannos ſedibus ibidem fixis deturbaret, Barbaros à Francorum finibus arceret, obiecto illis Batauiæ propugnaculo. Sic eodem ferè tempore atque conſilio, quo oræ maritimæ Saltuarios præfecerat, Theodericum nepotem ſuum Batauis comitem primum dedit, anno ſexageſimo tertio poſt octingenteſimum, inſulis Zelandicis ea tempeſtate omnino ſilueſtribus, ac Friſia in eâdem ditione comprehenſis. Sed ne principes antiquiores Friſiorum prætereamus, eam regionem Druſus ſubegerat, quæ tandem excuſſo Romanorum iugo Francis paruit. Mox recuperata priſtina libertate Friſij ſuos Principes habuerunt, Duces, Regeſque. Beroaldum rex Franciæ Clotarius vicit, eoque interfecto Agdillum eius filium Friſiæ regem conſtituit, cui Radbodus in regno ſucceſſit, cum quo Carolus Martellus & Pipinus bellarunt. Domiti tandem à Carolo Magno Friſij Francis fuerunt dicto audientes, vſque ad Caroli Calui tempora, qui eas Theoderico cum Batauia ſubiecit. Tametſi Regino aliique ſcriptores, Carolum cum Normannis fœdus iniiſſe, illorumque regi Gothofredo conceſſiſſe, adiecta ſponſione, vt religionem Chriſtianam amplexus, Friſiæ principatum cum Lotharij filia Gilla dotali pacto acciperet, circa annum D.CCC.LXXXII. Sed ad Friſiam Orientalem Normannis viciniorem fortaſſis ſpectabat ea

bat ea donatio, nam Occidentalem Batauiæ conterminam ex dono Caroli Calui, Hollandiæ toparchæ comitum dignitate ab eodem illustrati iam antea acquisiuerant. Hollandiæ nomen recentius est, etiamsi eodem promiscuè hic vtimur. In quo comitatu cum Zelandia & Frisia, Theodorici filius Theodoricus successit, illi Arnulphus, qui ab Othone tertio Cęsare impetrauit vt Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæque comitatus, Imperio Romano fiduciarij essent, vt à Francis liberarentur. Eaque de causa adductum existimo S. Henricum Imperatorem, vt ad donationem Valacriæ aliarumque insularum Zelandiæ Balduino Barbato Flandriæ comiti factam, procliuior fuerit. Arnulphum autem comitem strenuum bellatorem, qui contra Frisios dimicans occubuit, duo secuti sunt ordine Theodorici, hic multis, ille paucis Imperium annis habens. Posteriori, quia cœlebs vixerat, Florentius eius germanus successit, Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ Orientalis primus Comes. Hic filio pupillo Theodorico relicto è viuis excessit: Gertrudis eius vidua Hermanni Saxoniæ Ducis filia ad secundas nuptias transiit, cum Roberto Frisio Flandriæ comite, cuius pater Balduinus assignato illi Alostano comitatu, & quinque insularum Zelandicarum portione, imperij Flandrici cupiditatem, & quam ab ingenio præferoci metuebat iniuriam redemerat. Vxoris suæ nomine curationem Hollandię, Ordinum voluntate pupillorum tutelam Robertus suscepit. Ijsdem temporibus Guilielmus Episcopus Vltraiectensis xxi. Vibingo progenitus Geldriæ præfecto, ad Hollandiæ principatum suo artificio, & Cæsaris Henrici errore obrepserat: Sed cùm de hoc honore tituloque malè parto antistes diffideret, Gothofredum Lotharingum Arduennensem Gibbosum celeriter accersiuit. Ille armis in Hollandiam viam sibi patefecit, fuditque repugnantes, Frisium cum vxore liberisque fugauit, & à præsule Guilielmo per vrbes circumductus, metuque inauguratus Hollandiam vsurpauit, ab eodem Pontifice in feudum acceptam. Quinquennio elapso Theodoricus quintus in paterna ditione non priùs admittitur, quàm dux Gothofredus à submisso percussore vulneratus exspirauit. Deinde Florētius nomine secundus corpore obesus, ingenio pacificus, Hollandis, Zelandis & Frisiis imperauit, & fœdere cum Henrico v. Cæsare icto, Zelandicas insulas à Roberto repetiuit. Hunc sextus est secutus Theodoricus, illum Florentius, qui in belli sacri ad Antiochiam laboribus posteritati memoriā, animam Deo deuouit. Theodoricus vii. Hollādię comes prosperè in Zelandia exactis inde Flandris, in Brabātia pugnauit infeliciter: nam opido Buscoducis vi subita occupato, sua captiuitate & pretio damnū luit. Guilielmus eius frater comes Frisiæ Oriētalis, mox à fratris obitu principatū arripuit, comite Ludouico Lonæo repulso, qui Adam Theodorici legitimam hæredem in coniugē habebat. Post mortem Guilielmi primi Comitis Hollandiæ, prouinciæ ad Florentium eius filium deferuntur: quem rerum fortissimè gestarum magnitudo, virtutisq; & peritiæ dimicandi admiratio, in exitium adduxit. Post cædem paternam Guilielmus admittitur, qui tēpore factionis Guelphorum & Gibellinorū ad regnum Romanum vocatus, Cæsareum diadema tamen haud adeptus est, quamobrem in iusto legitimoq; Augustorū catalogo à quibusdam omittitur. Sunt qui ab Innocētio quarto Pont. Max. Cęsarea insignia Genuę scribunt accepisse, quod etiam Cuspinianus tradit, de loco tantùm discrepans, & ab eodem Pontifice Guilielmum astantibus multis præsulibus Lugduni confirmatum fuisse asseuerat; primùm tamen diadema Aquisgrani accepisse, pręsente legato Pontificio Cardinali, VVasseburgius auctor est. Præter cætera huius principis memoratu digna opera, sanctioris prætorij apud Hagocomitanos exstat decus. Cùm autem Guilielmus partim glacie, partim Frisiorū insidiis esset obrutus, Florentium v. filium necdum anniculum reliquit, de cuius tutela exortum dissidium fœdere componitur, vetus de Zelandicis insulis controuersia, matrimonio conquiescit. Etenim cùm Zelandia in fide ac clientela comitum Flandriæ adhuc esset, Florentius Beatricem Guidi comitis filiam in vxorem accipiens, primus comes Zelandiam cum omnibus regionis eius insulis possedit. Sed fœdo suorum parricidio trucidatus, ad Ioannem primum transmisit prouincias. Huic vxor Elizabetha Eduardi primi Anglorum regis filia torum sterilem reliquit, ac comitibus Hannoniæ hæreditatem amplissimam attulit. Enimuero Ioanne ex humanis sublato, Ioannes secundus natus ex Aleida Florentij quarti filia & Ioanne Auennensi Hannoniæ comite, Hollandiam, Zelandiam, Frisiamque

cum Han-

cum Hannonia coniunxit, quemadmodum in comitibus Hannoniæ recensendis supra declarauimus. Hinc Bauaris, inde Burgundis, denique Austriacis Hollandiæ Zelandiæque comitatus & dominium Frisiæ auspicatò obuenerunt.

NAMVRCI COMITATVS.

NAMVRCI comitatum Hannoniæ finitimum à Pipino Crasso possessum fuisse scribit Tritemius anno DC.LXIIII. & à Carolo Martello Richardus VVasseburgius, tametsi eam opidi nomenclaturam non tam antiquam puto; Regionem verò illam his principibus paruisse, & ad posteros eorum comitatum demigrasse equidem concedo. Sed quoniam nihil certi de iisdem habemus; à comite Alberto principatum auspicabimur, qui filiam Caroli ducis Lotharingiæ Ermigardem, Gerbergæ Louaniensis sororem, connubio accepit, circa annum quintum supra millesimum. Post hunc reperio in Lotharingiæ ducum stemmatibus Albertum comitem Namurceum vxorem habuisse Rheinholdam nomine Gozeli Ducis Lotharingiæ filiam, circa annum millesimum & quadragesimum quartum. Qui Albertus secundus prioris filius fuit, filiumque reliquit Albertum tertium, ille Gothofredum Namurcensium, & nomine vxoris Hermensidis Luxemburgensium comitem, quem è viuis excessisse deprehendo circa annum decimum quintum supra millesimum & centesimum. Hic filiam natu maximam Manassi nuptum dederat, Registetensi in Campania comiti, qui post obitum Henrici, vxoris suæ fratris, de Namurci possessione controuersiam mouebat, Namurcensibus quidem gratus, sed ab Henrico VI. Augusto reiectus repulsam tulit. Aleidam verò filiam suam Balduino tertio Hannoniæ comiti elocarat; Isabellam ex altera vxore genitam, vt VVasseburgius ariolatur, Conrado tertio comiti Luxemburgi coniugio sociarat; filium autem Henricum in comitatu Namurcensi vnà cum Luxemburgensi iure maternæ hæreditatis successorem habuit. Henricus de vxoris fœcunditate desperans cum comite Balduino hoc modo paciscitur: vt pretio de quo inter se conuenerunt per Balduinũ exsoluto, pro omni iure quod Henrici sorores in Namurcum obtinebant, vniuersum comitatum post obitum Henrici Balduinus possideret; Henricus quoad viueret eo liberè frueretur, nec non illa portione quæ ad coniugem Balduini Aleidam pertinebat. Quibus conditionibus solenniter trãsactis, Henricus Namurceus Gothofredum tertium Brabantiæ ducem vicit, iuris aliquid in Namurcum armis deposcentem. Cumque ab eodem viribus resumptis, aliisque principibus sæpe infestaretur, Balduini tertij quartique auxiliis superior euasit. Sed vbi Valeramo, vel vt alij, Conrado Luxemburgensi, eius ex sorore Isabella nepote, de iure comitatus armis contendente, consilium mutasset, & fœderis sanctè cum Balduino percussi, ac semel iterumq; post acceptam ex morbo cæcitatem renouati, acta rescidisset, Namurcique comitatum eidem Valeramo minori natu germana progenito, per iniuriam contulisset, bello prælioq; cruento superatus est. Sed cùm Henricus comes è recepta vxore, (vel secundùm alios, in locum concubinæ supposita) qua quindecim annorum diuortio caruerat, filiam hæredemq; Hermensidem sustulisset, Henricus Campaniæ in Gallia comes, vel iuxta alios Theobaldus Barrensis, vt in principibus Luxemburgi diximus, illam in vxorem accepit, nuptiali pactione intercisa, quam fuerat stipulatus de ducenda Iola Balduini filia, natoque inde bello, Balduinus Namarcum, dum aliis bellis Campanus aut Barrensis distinetur, occupauit & retinuit, atque à Friderico vel Henrico VI. Augusto impetrauit Cæsareum decretum, quo omnibus Gallicæ nationis nobilibus Namurcæi comitatus successione interdictum est. De hac controuorsia comitatus Namurcensis multa referuntur à Richardo VVasseburgio, ad quem studiosum, breuitatis causâ, lectorem ablegamus. Iuxta hanc Cæsareę sanctionis formulam Balduinus Philippo filio suo Namurcensem principatum testamento legauit, ea conditione vt eum comitatum à fratre Balduino, ille à Cæsare fiduciarium acciperet. Itaque Philippus Namurcensis Marchio, quo titulo inter ceteros parentes eius condecorabantur, cum filio infantulo in humanis esse desijt. Namurcum per Henricum Byzantinum Cæsarem ad Iolen sororem eius descendit, Petri Antisiodorensis Augustam, quam Honorius III. Pon-

tif. Max. à rescripto contra fratrem dum viueret impetrato, epistola sua Decretali absoluit: Significauit nobis comitissa Namutēsis; de rescript. Hanc Cuspinianus Henrici Imp. Constantinopolitani filiam vocat, refragante Meyero aliisque rerum Flandricarum scriptoribus, & Nicephoro Gregora; quibus assentior, veluti certiùs de suorum Principum stemmate iudicantibus. Enimuero sub Honorij Pontificatu, Balduino & Henrico Constantinopolitanis & Philippo Namurcæo Ioles fratribus vita functis, Petrus cum Iole Romam profectus, in basilica S. Laurentii extra muros coronatus est, vt Platina testatur, prædicto Pontificis decreto ab Iole impetrato. Quod idem Honorius Decretalibus inseruit, quas ipse in volumen collegit epistolis, Gregorius nonus successor eius edidit. Neque Namutensis vocis insolentiâ magnopere moueor, quia apud Rob. de Monte in appendice ad Sigebertum, Nammutum inuenio ad annum cIↃ. c. xviii. His orti parentibus Robertus & Philippus, quorum hic Græcis, ille Namurcēsibus imperauit. Defuncto Philippo inuasit Namurcum Henricus Luxemburgicus, matris, vel vt alij iure Margaretæ vxoris suę, ex Gerardo Luxemburgio Barrensi comite & Sibylla Balduini & Henrici Augustorum sorore procreatę. Qua de re mota inter illum & Flandriæ comitem Ferdinandum dissensione, ab armis discessum est, mutua principatuum quorundam pensatione, qua Luxemburgensis in Namurco acquisiuit quicquid iuris Ferdinandus cum vxore habuerant. Sed elapso quinquennio reuersus è Græcia Balduinus Augustus (huius stemmatis vltimus, ac filius Roberti, qui Petri & Ioles filius erat) res suas & vectigalia ac ius principatus quod in Namurcensem ditionem habebat, Ludouici Gallorum regis ope recepit. Renata de eodem tamen citò est discordia, per Thomam Allobrogicum, qui mortuo Ferdinando Flandriæ comite, eius viduam Ioannam Byzantinam duxerat. Illa quoque defunctâ Romanorum rex Guilielmus Hollandiæ comes Flandris infensus, Margaretam terris imperialibus priuauit, & Namurcum Ioanni Auennensi attribuit, anno quinquagesimo secundo supra millesimum ducentesimum. Sequenti verò anno Balduinus Augustus ad inopiam redactus, comitatum Namurcensem Blanchæ reginæ Ludouici Francorum regis matri vendidit; quæ eundem mox donauit Marthæ Augustæ vxori Balduini Ioannis Solymorum regis filiæ, tam nominis Cæsarei, quod supererat, reuerentiâ, quàm aduersæ fortunæ commiseratione. Nono autem postea anno, noua de Namurco discordia suscitatur, per Henricum Luxemburgensium comitem, Henrici septimi Cæsaris auum, principatum Namurcensem armis inuadentem, Margareta Byzantina, quæ nemine refragante potiori quàm Luxemburgensis iure asserere sibi Namurcum poterat, expeditis auxiliis agnatæ Augustæ missis, Namurcum & in eo Henricum obsedit. Sed statim ira deferbuit fœdere connubiali inter Guidum Dampierrum Margaretæ filium, & Isabellam Luxemburgici filiam solenniter composito. Augusta Guidum comitem seu Marchionem Namurcensem inaugurari patitur. Hoc titulo Guidus Ioannem filium superstes ornauit egregium Flandriæ propugnatorem, qui post obitum patris Namurcensibus iura dedit. Eam deinde potestatē Robertus comes obtinuit, post illū Guilielmus Namurcæus, qui Slusam pro Betunēa cum Philippo Audace Burgundo permutauit. Postremò cum hæreditario iure comitatus ad Mariam Guidi Blesensis comitis vltimi vxorem transiuisset, eius hæres Ioannes, vt scribit Meyerus, vel Theodoricus vt alij tradunt (vterque fortassis, pro sua quisque portione, nam in plurali numero hæredes Mariæ ditionem hanc pretio commutasse apud quosdam reperio) Philippo Bono duci Burgūdionum Namurcum vendidit, seruato quoad viueret vsufructu cum titulo. In cuius comitatus possessionem Burgundus sine vllo impedimēto venit, cùm venditionis pactum Ioannes obitu expleuisset, teste Monstreleto. Tandem hunc comitatum Maria Burgunda Caroli filia ad gentem Austriacam cum toro detulit, quæ eundem adhuc retinet, titulisque Hispanicæ potentiæ annumerat.

MARCHIO-

MARCHIONATVS S. IMPERII.

OLLOCATVR præterea inter Germaniæ inferioris dynastias, S. Imperij Marchionatus, cuius caput est Antuerpia, ab Othone secundo Augusto institutus, cùm Carolus Lotharij Francorum regis frater Lotharingiam obtineret. Scio equidem ad tempora multò antiquiora Marchionatus incrementa à quibusdam referri, rerumque Boiaricarum scriptores, & VVofgangum Lazium vsque ad Gothofredum Bullionij ducem, vndecim Marchiones Imperij numerare, ab Vtilone Theodonis Boiorum ducis fratre, qui limitis inter Scaldim & Oceanum præfecturam, rebus contra Danos egregiè gestis honorariam primus meruit, à Theodorico Francorum rege primo. Qui ex vxore Eusthera Alarici Gothorum regis filia Clotildem suscepit Vtiloni nuptam Antuerpię Marchioni; in qua prçfectura Hugobertum eius filium successisse refert Lazius. Postea Asopertum, Arnulphum, Angisum, duos Pipinos, Rolandum, Guidum, Henricum & Gothofredum enumerat, Eustathij Belgicæ Boloniæ comitis filium. VVasseburgius à Tungrorum principum stemmate Imperij Marchionatum orditur, eumque ad Carolum Hasbanium deriuat, & per Carolomannum, Pipinum, Grimoardum, Ansigisum Beggæ maritum, Pipinum Heristallium, Carolum Martellum, Pipinum Breuiorem ad Carolum Magnum Imperatorem, inde ad Falconem Ricuini Mosellani ducis filium producit. Sed quoniam in hoc opere fidei auctoritatem multiplici historicorum consensu metimur, nos omni ambiguitate resecta, tutiùs è literarum monimentis certioribus, Antuerpianæ dignitatis originem eruemus. Positis igitur armis & dissidiis, initoque fœdere inter Othonē Imperatorem & Franciæ regem, in Lotharingiæ possessione Carolus permansit, sed finibus quàm antea angustioribus circumcisa. Etenim Aquisgranum atque Nouesium Imperio reseruantur, pars quoque haud exigua Coloniensi Ecclesię, nec contemnendus agri modus Leodiensi assignatur. Louanium, Bruxella, Niuella aliaque opida, comitatus Louaniensis titulo, Antuerpia Marchionatus insignibus ornatur, & Gerbergę nominatim in dotem addicitur. Is Marchionatus S. Imperij à Germanis appellatur, & serie continua, à Lamberto Louaniensi Gerbergæ marito, ad filium Henricum vsque ad Gothofredum Barbatū transmittitur. Verùm hîc quædam mihi incidit dubitatio; quod facta à Cæsaribus, Lotharingiæ, quæ Brabantiam continet, donatione, & eodem ducatu fiduciario in Arduennensem familiam collato, quosdā eiusdem stemmatis duces Marchiam Antuerpiæ possedisse reperiam. Duo enim Gothofredi, Gibbosus & Bullonius, hic in Marchia sua Antuerpiæ percussus est, ille ibidem militem conscripsit, quem ad sacram expeditionem in Asiam duxit: vt vix verisimile, vel satis obscurum saltem videatur, eundem Marchionatum ab Arduennensis familiæ principibus, & à comitibus Louaniensibus, Lotharingiæ & Brabantiæ legitimis hæredibus, vno tempore & æuo possessum fuisse. Quam controuersiam vt conciliemus statuendum existimo, Lamberti Louaniensis & Gerbergæ successores, eâdem ratione Marchionatum habuisse sub Riensis Marchiæ titulo, quâ ducatus Lotharingiæ & in eo Brabantiæ successionē per comitatus Louanij possessionē retinuerūt. Duces verò Arduennenses siue Lotharingiæ & Brabantiæ beneficiarios eodem modo hoc illis indulsisse, Riēsiumque Marchionum titulum, S. Imperij Marchionatu comprehensum, iisdem concessisse, retenta sibi Antuerpia, præcipua portione. Nec obstat vetustior Riensis agri mentio, pro ditione Renensi restituta, in vita S. Gummari, apud Surium tomo quinto, quem circa Pipini Francorum regis tempora, vel circiter annum septingentesimum & septuagesimum religione & miraculis claruisse legimus: Et apud Meyerum Riensis pagi mentio est ad annum nongentesimum septuagesimum quartum: Riensis enim ditio Marchionatui S. Imperij connexa includebatur. Facta igitur distinctione inter vtramque ditionem, quamuis vna eademque fuerit, qualis fuit ducatus Lotharingiæ & Brabantiæ cum Louanij comitatu, quorum hîc ducibus Arduennensibus beneficiaria lege donabatur, illum ex Gerberga legitimum genus sibi vindicabat: Credibile est principes Arduennenses, Louanij comites perquam bellicosos, in partem Marchionatus etiam admisisse, sicut eos Lotharingicis aut Brabanticis limitibus quos armis tuebantur, eijcere non poterant. Nec minùs æquo animo

ſub nomine Marchionatus,fuere contenti dominio Rienſi comites Louanienſes,donec Barbato vniuerſa vtriuſque poſſeſſio reſtituta eſt. Ceterùm tametſi Barbati ſucceſſores ducatum Lotharingiæ & Brabantiæ adepti, comitatus Louanij titulum omiſerunt, non periit idcirco Rienſis marchiæ appellatio. Sed Marchionatu S. Imperij ad ducum Brabantiæ poſteritatem delato,& Rienſi ditiunculâ à Philippo Audace poſt ſecula quatuordecim anno Chriſti tertio corpori Brabantici ducatus applicatâ, hac nominis prærogatiua duces Brabantini ſuos Antuerpiæ officiarios ornarunt, quos Sculteтos vulgò vocant, ad quorum dignitatem & in rebus capitalibus publiciſque iudiciis exequendis auctoritatem, titulum Rienſis marchionis addiderunt. Nec eſt ſilentio prætereundum,Brabantiæ principes peculiari quodam ſtudio & cupiditate Marchionatus inſignia ſemper conſeruaſſe, vt cum iure ſponſalitio Ludouicus Malanus Antuerpiâ potiretur,quin etiam Brabantiæ ducis titulum arrogaſſet,nunquam tamen impetrauit à duce VVenceſlao, vt Cæſarei Marchionis ornamenta illi cederet. Verùm hæc de S. Imperij marchionatu dicta ſufficiant, qui cum ſtemmate Gothofredi ducibuſque Brabantiæ primùm ad Burgundos, deinde ad Auſtriacos, & cum illis ad Hiſpanos traditione migrauit,non vltimo certè loco,ratione Antuerpiæ emporij celeberrimi inter præclariſſimas ditiones æſtimandus.

MACHLINIÆ DOMINIVM.


VCCEDIT nunc ordine Machliniæ dominium, cuius antiquitas ex etymo elicitur, in S. Rumoldi vita ciuitatis eiuſdem Apoſtoli apud Surium tomo VII. his verbis: Locũ incolæ Machliniam dicunt propter Malinã & Ledonem,quæ certis temporibus cũ corniculantis Lunæ conſonantia, nunc maris acceſſum nunc receſſum faciunt,nec vltra quam ad huius loci fretum, vel damnum vel lucra ſua commutãt. Nobiliũ quidam Odo nomine,vel vt alij volũt, Ado,comitatũ gerebat,cum æquè moribus & genere nobili coniuge. Hactenus auctor eius vitæ apud Suriũ. Porrò vocabula Ledonis & Malinæ etiam apud D. Auguſtinum leguntur,libro primo de mirabilibus ſcripturæ,vbi ſic habetur: Hæc namque quotidiana inundatio bis in die à tempore ad tempus per horas viginti quatuor ſemper peragitur,ac per alternatas hebdomadas Ledonis & Malinæ viciſſitudo comitatur, ſed Ledo ſex horas inũdationis, & totidem receſſus habet; Malina verò grandis ferè per quinque horas ebullit,& per ſeptem horas litorum dorſa retegit. Hæc ille. Ceterùm quod ad hanc etymologiam attinet,alij enim aliunde deriuant,liberum vnicuique relinquimus iudicium. Non enim in arctas ſyllabarum anguſtias, aut in angulos verborum hîc quicquam deducimus,ſed à nominum indagine,cui ſuperſtitioſè plerique immorantur, hactenus abſtinuimus. Non quod eam operam omnino improbamus,quę Platoni quoque placuit in ſuo Cratylo; verùm quod haud magni intereſſe arbitramur, an à Lotario dicatur Lotaringia ſiue à Clotario,ille à Clodoueo, hic à Clodio ſiue Claudio oriatur. Deinde an Brabantia à Brabone nuncupetur,an ipſe à Brabantia, illa à Brachbanto aut pago Brachatenſi,qui Scaldi & agro Aloſtano interiacet,originem ſuam debeat, an ſolo genuino & natiuo acceptam ferat,eâ linguæ vernaculę nomenclaturâ,quâ nouale aut veruactum,à reſtibili aruo differt,vt Ioannes Goropius exactè inueſtigauit,vir artium variarum diſciplinis excultiſſimus,& in exquirendis verborum radicibus eleganter curioſus. Limburgi & Lucemburgi etymon poſteriùs haud illis obſcurum eſt,qui in Græcis auctoribus aliquid operæ poſuerunt; illi enim πύργους vocant, quos Germani purgos, nos ſono leniori burgos, ſiue arces ad pagorum cuſtodiam exſtructas. Reliqua vtriuſque ducatus rudimenta non ſunt æquè perſpicua,niſi eò Lemburgi (ſic enim ferè ſcribitur) primam ſyllabam referamus, vnde poſteriorem ciuitatis Hollandiæ, quam Haerlem vulgò vocant, deſumpſit Guicciardinus in Belgiographia, & vtrumque opidum conditores cognomines habuiſſe ariolemur, vel nomen à caſtro Limpurgo aſciuiſſe, inter Vangiones & Nemetes ſito, quod Conradus Auguſtus in monaſterium erexit,anno CIↃ. XXXIIII. vt Hermannus Contractus in Chronicis meminit. Nam Ruthenica Leopolis etſi nomine Germanico (Lemburgum enim vocant) & Leonis inſignibus cum noſtro Lemburgo propemodum conueniat, tamen Belgicum Lem-

cum Lemburgum Ruthenico est antiquius, quod Russorum princeps Leo filius Danielis circa annum cIↃ. cc. LXXX. ex Martino Crommero condidisse deprehenditur. Lucemburgum truncatim ab Alisuntia descendit, qui fluuius illud rigat, tametsi quidam opinantur Lucisburgum vocari, à Phœbo siue lucis tutelari quondam Deo. Geldriæ dictionis prima tyrocinia, ab immanis hydræ consonanti mugitu, quam Pontici toparchæ sumptis animis Herculeis confecisse finguntur, ad fabulas transferemus, vel ad puerilia terriculaméta. Goropij de Geldrię primordio sententiam vtramque his relinquimus, quibus placet hoc commentum, sic enim ipse vocat. Commodiùs ergo Geldria & verisimiliùs à Gelduba antiquitus finitima nomen habet, vt ex Tacito colligimus. Ingenium autem soli sua vligine fœcundi Zutphaniæ nomen indidit. Flandriæ porrò nomen tametsi antiquissimum, quàm varijs & incertis sententiis adhuc fluctuat! ille à Flandberto, hic à flatu mutuatur, marisque procellosi vicinis æstuariis, alij etymologi ad alia respiciunt: vt ex Flandricis Iacobi Marchantij commentariis dilucidiùs apparebit, breui in lucem prodituris. Qui vocem Atrebatum à tempore Iulij Cæsaris, Straboni deinde & Ptolemeo haud incognitam, ad originem referet cum Goropio in Atuaticis, suum permittitur illi iudicium. Sicut & de Hannoniæ principiis: quæ ab Hannone Troiano, vel ab Hainæ fluentis, aut ipsos Hannonios ab Hunellis aut Hunnis, vel aliunde deducere per me quidem licet. Hollandiæ seminarium (quæ Batauia vocabatur, congrua cum Patauio paronomasia, auctore Goropio in Veneticis) quam plurimi à specu, aut solo cauernoso, terraque palustri & minimè solida traductum existimant, vt ex panegyrista Mamertino Adrianus Iunius percommodè obseruauit. alij Holtlandiam, ab antiqua saltuosæ regionis natura, non omnino malè, vt opinor, eliciunt. Zelandiæ verò nostræ, siue à Cimbricæ Chersonesi insula cognomine, vel à situ maritimo incunabula petantur, par nominis imponendi vtrobique fuit ratio. Verùm Frisiam prouinciam omnium vetustissimam ad fontem reuocare quàm plurimi conati sunt, partim gentis auctorem Frisonem quendam statuunt, partim Phryges ex Asia nouas sedes hic adeptos, indigenis eam gratiam retulisse suspicãtur, & domicilij societatem percelebris nominis communione compensasse. alij Frisios arbitrantur à studio retinendæ libertatis, huius vocis assumendæ ex Germanico idiomate artifices exstitisse; Francis quoque ex hoc tractu oriundis exemplum placuisse. Sed hæc fusiùs explicantur à Siffrido Petri, patriæ antiquitatis & originis præcone. Nec minùs est incertus Namurci architectus: Nani dei oraculum, primum opidi incrementum, vt quibusdam placet, ambigua nutat fide: Neumurcij fundamentum videtur paulò firmius, nouo muro propinquum: quem Meyerus ex Guilielmo Aremorico fabricatur. Antuerpiæ & Riensis nomenclaturæ, quas incisè membratimque perscrutatus est Goropius, ex Atuaticis eiusdem sunt depromendæ, ne fines institutæ breuitatis excedamus, neque ad aucupia vocularum dilabamur, de principatu Belgij sermonem habituri. Sed quoniam à Machlinia digressi parumper sumus, eiusque antiquitatem ex vita beati Rumoldi probauimus, qui anno septuagesimo quinto post septingentesimum coronam martyrij adeptus est, comite Odone principatum obtinente, quis Odonem præcesserit, aut eidem successerit, hactenus deprehendere non potui: vsque ad Gothofredi Barbati tempora Lotharingiæ Louaniique principis, quum familiam Dominorum de Berthaut, quos Bertoldos vocant, rerum Machlinię potitos fuisse Chronici Brabantici posteritati reliquerunt. Arnoldus enim Grimbergæ dynasta Machliniam possidebat, cùm bellũ in eum, sponsionem officij clientelaris abnuentem, Barbatus moueret, Gothofredus secundus continuaret, tertius conficeret, Arnoldo cum filiis Gualtero Arnoldo & Gerardo cæsis, captisque, & imperata facere coactis, illorumq; opibus & possessiunculis, quibus antea nitebantur, vsque adeò comminutis, vt alteram dominij Machliniensis partem Ecclesiæ Leodiensi venditam manciparent. Eam simili iure Ioannes secundus Lotharingiæ siue Brabantiæ princeps ab Hugone Leodiensi Pontifice acquisiuit, post decimam tertiam annorũ à Christo nato centuriam, quo tempore Ioannes è Bertoldica familia pro dominij sui parte Leodiensem Ecclesiam pro primo patrono, pro secundo Lotharingiæ ducẽ agnoscebat. Postea tabulis emptionis, quibus inter Lotharingum & Leodiensem conuenerat, ab Henrico septimo Augusto rescissis, dux emptor suam partem antistiti restituit, qui eam paulò pòst Lu-

douico

douico Niuernensi Flandriæ comiti vendidit, interposito iureiurando se Machliniam Flandriæ suæ possessione nunquam emissurum, quam conditionem Adolphus Episcopus in odium Brabanti stipulatus fuerat. Pars altera eodem ferè tempore in ducis Geldrensis potestatem venerat, filiæ suæ tutelam gerentis, è Sophia susceptæ Florentij Bertoldicæ gentis vltimi domini Machliniæ filia, eiusque hærede vnica, quam Reinaldo secundo Geldrię duci primo, parentes elocarant. Dux igitur Episcopi exemplum imitatus, partem opidi, quam cum illo coniunctim possidebat, eidem Ludouico venalem addixit, centum sexaginta aureorum millia pro parte vtriusque spondenti, & numeranti. Sed venditioni dux Brabantiæ intercessit, sibique Machliniam clientelæ sacramento obstrictam affirmauit, & hoc fidei nexu se inuito solutam ad dominium alienum transituram impediuit. Hinc belli de Machliniæ venalitate principia, quæ Philippus rex Valesius triplici affinitate quamprimùm exstinxit, ternarum nuptiarum conciliator, inter comitem Hannoniæ & Hollandiæ Guilielmum, & Geldriæ Flandriæque principum filios, Reinoldum & Malanum, cum tribus virgunculis è Brabanto genitis; cum quadam retractus conditione, vt Brabantus pro Machlinia octoginta septem aureorum regalium millia Flandro numeraret. Hæc acta sunt anno cIↃ. ccc. xxxiii. elapsoque triennio Machliniam indiuisam & æqualiter possidendã iidem Principes receperunt. Nec ita multò pòst eodem rege Philippo interueniente, Machlinia Henrico Brabantię ducis filio à Malano tota ceditur, sine pretij cum patre conuenti petitione. Philippo defuncto Flandrus animos sustulit, & nomine pecuniæ, quam socero condonarat, bellum contra ducem VVenceslaum prætexuit, Machliniam repetiuit, deditamque occupauit, & cum filia Margareta ad Burgundos transmisit. Philippus Bonus à reliquis ditionibus separauit, Carolus summæ curiæ prærogatiua decorauit: Cuius filia Maria in coniugem accepta Maxæmylianus Imperator dominium Machliniæ posteritati acquisiuit, principumque Austriorum attribuit patrimonio.

VLTRAIECTI, TRANSISELANÆ, GRONINGÆ, DOMINIA.

VLTRAIECTENSIS ditionis antiquitas ex Episcoporum serie continua facilè dignoscitur; vt superuacaneum videatur de Vtricesio vel Optricesio ac VViltaburgo (vel Vultraiecto iuxta Sigebertum) quicquam commemorare: Enimuerò S. VVillibrordus à Pipino Austrasiæ rege Frisiis debellatis Euangelio annũtiando missus fuit, anno IↃ. c. xciv. qui elapso triennio à Sergio Pontifice Romano in Archiepiscopum ordinatus & Clemens appellatus, à Carolo Martello Traiectensis præsul constitutus fuit, data illi regionis vniuersæ iurisdictione. Qui cùm quadraginta annis insigni vitæ sanctitate Ecclesiæ præfuisset, diuorum numero asscriptus est. Ab hoc autem primo antistite, vsque ad Henricum comitis Palatini Philippi ex Germanię septemuiris filium, quinquaginta septem Episcopi numerantur pietate & genere pręstantissimi, quorum opes & potentia multorum Imperatorum aliorumque principum liberalitate, & regionis vnde barbaros & tyrannos expulerunt accessione, eousque excreuit, vt dominium Traiectense regni haud exigui amplitudinem adęquarit, quod ex rebus per Episcopos fortiter gestis, quas hîc describendas minimè suscepimus, apertè constaret; sed vnum potẽtiæ argumentum sufficiat, quod exercitum quadraginta mille suæ ditionis viris numerosum, cõparare potuerint. His igitur viribus & opulentia prouincias Transiselanam cum Groeninga in potestatem suam redegerunt, multosque principes & dominiorum illustrium toparchas feudorum beneficijs sibi deuinxerunt. Verùm quum Henricus Palatinus Episcopus, ditionem à Geldriæ ducibus vexatam, nobilium factionibus perturbatam, & à diuersarum partium ciuibus in summum discrimen adductam offenderet, tutissima tam suæ quàm subditorum securitatis & salutis ratio fuit, vt prouincias Vltraiectensem & Transiselanam Carolo quinto Cæsari Augusto, ceu Duci Brabantiæ & Hollandiæ comiti cederet, quod anno vigesimo septimo supra sesquimillesimum certis conditionibus in tabulas relatum est. Nec longo post tempore salutaris exempli imitatores fuere Groeningenses, quorum dynastia Burchgrauiatus quondam

quondam fuit, præſuli Vltraiectenſi clientelaris. Hi cùm pluſquam viginti annis ab Vltraiectenſibus ad Geldros defeciſſent, neque tamen ſatis in ea gente præſidij, ad ſe ſuſtentandos, nec ad priuilegia ſua retinenda, quæ habent ampliſſima, experirentur; eodem conſilio ad Carolum v. anno trigeſimo ſexto tranſierunt, & regum potentiſſimo Philippo obſequentes, vltimum in Belgicis prouinciis locum ſumma proſperitate & fide obtinuerunt.

Quoniam autem Belgicarum ditionum enumeratio nonnunquam in controuerſiam adducitur, titulis quibuſdam ex albo expunctis, aliiſque per ambitionem ſubſtitutis, tametſi in numero omnes conſentiant, ſed ſua intereſſe permagni quiſque exiſtimat in celeberrimo ſeptendecim regionum catalogo recenſeri, quid ad dirimendam hanc contentionem videatur allegandum, in medium proferamus. De Tornaco, Inſulis, Duaco, Orchiaco ac Valentianis mouetur hæc quæſtio. Ciuitas igitur & ager Tornacenſis veterum Neruiorum in Belgica ſedes, quos in deditionem Iulius Cæſar accepit, vſque ad tempora Valentiniani Romanum cum reliquis agnouit imperium. Sed exactis per Francos Romanorum præſidiis, rex Clodio Comatus regionem occupauit. Diuiſo mox Franciæ in tetrarchias regno, Tornacum obtinuit Chilpericus, qui partem imperij in Epiſcopos tranſtulit. Tandem ad Balduinum Pium peruenit Flandriæ comitem, cuius nomine Lambertus comes Louanienſis cum Flandriæ primatibus anno milleſimo quinquageſimo tertio Tornacum cuſtodiebat. Captum ab Henrico III. Cæſare & direptum fuit, & pace confecta Balduino Montenſi Hannoniæ comiti ab Auguſto conceſſum. A Gallis deinde Tornaco potitis, Flandriæ comes Ferdinandus id recuperat: ſed breui ad Philippum Auguſtum Galliæ regem iterum deſciuit. Porrò Tornacẽſes partium Francicarum lõgo tempore fuerunt, Flandris ciuitatem ſæpe armis repetentibus: Sed illis libertatem, cuius retinendæ ſunt ſtudioſiſſimi, ſub Galliæ regum clientela defendentibus, Anglorum etiam, qui Francis infenſi hoſtes erant, in ſe odia conuerterunt: A quibus bello laceſſiti, coniunctiſque Flandrorum viribus obſeſſi, & à commercio eorundem prohibiti, tandem anno cIↃ. IↃ. XIII. ab Henrico Britanniæ rege expugnati, & deditionem facere co[illegible]t. At ſeptimum poſt annum Gallis redditi, ſequenti autem anno à Carolo v. Cæſare euicti ſunt, & in Flandricum principatum denuò redacti. Quod ius armis Carolo & poſteris quæſitum, pactione Madriciana anno vigeſimo ſexto, deinde pace pronuba Cameracenſi elapſo triennio, & cõcordia Creſpiaca anno quadrageſimo quarto cum reliquis conditionibus diſertè confirmatum eſt, Franciſco Gallorum rege primo dominium Tornacenſe, cum imperio, ſi quod Gallico ſceptro debebatur, cedente & abdicante. Quare mirum videtur adhuc Tornacenſes pro domeſticis apud Francos ciuibus haberi, vt Gallicæ ciuitatis diplomate non indigeant. Veruntamen Cæſar Carolus imperium Gallis potuit, non affectum adimere, vt depoſito dominio ſuam in Tornacenſes beneuolẽtiam retinuerint. Ab illius fœderis tempore, etiamſi in agro vrbeque Tornacenſi nihil iuris reges Galliæ reſeruare potuerint, eiuſque poſſeſſio ſub Flandria comprehenſa ſit, vt pace inter Philippum principem noſtrum & Henricum Galliæ regem anno quinquageſimo nono inita, nulla de Tornaco controuerſia ſuperfuerit, in publicis tamen tabulis, vbi Belgici tituli fuerunt inſerendi, ad maiorem cautelam quamuis ſuperfluam, Tornacenſem ditionem à regiis miniſtris expreſſam fuiſſe, adducor vt credam, ne quid iuris in eandem Galli adhuc tacitè retinere videantur; atque eo modo effectum eſſe, vt lecta vel audita inter reliquas prouincias agri vrbiſque Tornacenſis mentione, plerique prouinciæ loco numerauerint, motis è ſubſellio, S. Imperij Marchionatu, aut Zutphaniæ, Groeningæque principatibus. Similis planè ratio eſt, trium ciuitatum, Inſularum, Duaci & Orchiaci. Duacum Hannonici primùm iuris fuit, donec comes Balduinus à patruo Roberto Friſio circumuentus, arcem Duacenam cautionis loco obligarat, eàdem exuendus, niſi fidem de filia Roberti ducenda obſtrictam liberaret. Itaq; Balduinus ab his nuptijs alienior propter formam puellæ non ſatis vxoriam, animum ad Idæ coniugium applicauit, comitis Louanienſis filiæ. Robertus Duacum ex compromiſſo retinuit, Flandrieq; copulauit. Quæ coagmentatio Philippo Alſatio ſororem Margaretam Balduino quarto Hannoniæ comiti elocante confirmata eſt, & Duacum, cedente Hannonio Flandrici omnino factum

iuris,

iuris. Ceterùm Insulas, Duacum & Orchiacum, Flandriæ corpori conglutinata opida, Mathildis Philippi Alsatij vidua vsufructuario titulo possedit. Deinde cùm Flandriæ comes Guidus, à Philippo Pulchro cõtra fidem promissam in Gallia detentus est, Duacum & Insulas rex Pulcher occupauit, Ioannes Namurcæus continuò recepit, pace Insulana rex pignoris loco tenuit, dum multâ librarum octoginta millium à Flãdris lueretur. Orchiacum paulò antè Philippus armis vsurparat. Mortuo in custodia Gallica Guido, Robertus eius filius obses parentis Compẽdium profectus, non ante dimissus est, quàm præter ceteras conditiones iniquas, neque pactioni Insulanæ consentaneas, tria rursus opida pro pignore daret, dum viginti millia numûm in annuam pensionem Flandri assignassent. Neque solo pignore contentus rex Pulcher, trium ciuitatum dominium ambiebat, quod tamen à Roberto impetrare non potuit, Gallica postulata de annuo censu cum iure ciuitatum permutando reijciente, donec illecebris persuasionum & insidijs circumscriptus, se debito quidem liberauit, sed trium opidorum possessione se exuit, redimendique in perpetuum potestate abdicauit, anno vndecimo post millesimum trecentesimum. Non tamen vltra annos quinquaginta processit Gallorum in his opidis malæ fidei possessio: Nam ea Malanus à Carolo quinto Gallorum rege debitæ pecuniæ remissione recepit, fœdere Gandaui solenniter icto. Sed cùm elapso seculo Ludouicus vndecimus contra pacta conuenta, pacemque Atrebatensem tria opida repeteret, neque iuris quidquam Philippus dux Burgundiæ eidem attribueret, ne qua tamen controuersia super trium opidorum legitimo dominio in posterum moueretur, expresѐ per fœdus Madricianum, pactionem Cameracensem, & concordiam Crespiacam de iisdem cautum est. Rege Galliæ Francisco ius omne Insularum, Duaci & Orchiaci in iisdem comitiis absolutè remittente. Quare actum agunt Galli de perturbandis pactionibus cogitantes, vel de opidorum repetitione. Nam etsi sufficiat solennis stipulatio, quà Philippus Audax Margaretæ Malanæ Ludouici filiæ nuptijs tria opida recepit (ridiculum enim esset regem Carolum eius fratrem ditionibus eisdem sicut tempori cessisse) ad Ioannem Intrepidum iure optimo delata sunt, cuius natiuitate, de masculorum liberorum defectu vel occasu, extincta est conditio. Vsurpatio à comitibus Roberto Guidoque per iniuriam expressa, Cameracensi & Crespiaco conuentu antiquata est, ea lege, quâ prioribus contractibus firmitatem posteriores derogant. Denique si comes Flandriæ Ferdinandus in acie prope Bouinas captus, annisque duodecim in Gallia detentus, Francico sceptro pro redempti pretio ea opida addixit, cur minùs eo iure quod in illum statuerunt, Galliæ reges vtentur? Rex itaque Franciscus in Cęsaris potestatem è prælio apud Ticinum traductus, simili hostimento & pactionis formulâ, Gallici imperij in hęc opida fasces victori submisit. Hinc illa specialis opidorum expressio ad posteros manauit, causamque dedit quibusdam opinandi, in album septendecim Belgij ditionum referri oportere, cùm tamen Flandrici iuris esse, eiusque comitatus titulo contineri ex eo perspicuum est, quòd à Flandriæ complexu abstracta & alienata, ad suam prouinciã ceu iure quodam postliminij redierunt.

Reliquum est vt de Valentianis celebri Hannoniæ ciuitate disseramus. Hoc opido Hannoniæ dynastia comprehenso, VValterum secundum regionis eius comitem Pipinus Francorum rex priuauit. Carolus Magnus Alboni restituit per Maldebertę VValteri neptis matrimonium, vt scribit VVasseburgius. Hanc quidam titulis Belgicis asscribunt, ea nempe ratione quod anno nongentesimo septuagesimo tertio, Raginerus Longicollus Montensis comes, cum fratre Lamberto Louaniẽsi comite Valentianas comitatus insignibus illo æuo illustres, à comite Garnerio certo pretio emerunt, & inuito Gothofredo duce Lotharingiæ, qui inter proximos cognatos venditorem numerabat, retractus quodam iure dominium repetente, multis annis possederunt, vt refert Guicciardinus in sua Belgiographia. Anno tamen millesimo Raginerus ditionem siue pacto siue pretio tranquillam obtinuit, vt in Hannonicis annalibus perhibetur. Orto nihilominus de possessione arcis Valentianę dissidio & bello, inter dictum Gothofredum & Balduinum Barbatum Flandrię comitem, qui Valentianas armis occupauit, S. Henricus Rom. Imperator Arduennensi auxilium ferens, Valentianas vnà cum Balduino, adducto raptim exercitu obsedit. Sed copiis Francorum ad opem accurren-

accurrentibus & obsidione Augusti soluta, Balduinus cum eodem in gratiam rediit, & inter se mutua Cæsar & Comes beneuolentia contenderunt. Nam cùm hic illi Valentianas dedisset, ingenua ipsius indole perspecta, vel seditione suorum coactus, arcē eandem Henricus illi reddidit, beneficio imperiali perpetuò possidendam. Hæc ita circa annum septimum & millesimum tradit Sigebertus. Mansit autem penes Flandros arx Valentiana non ita multis annis, siquidem Balduinus II. Hannoniæ comes cum Hannonia Valentianas, ceu legitimam ab auo materno hęreditatem, recepit & retinuit. Deinde eius filius Balduinus III. eam vrbem legibus & institutis ornauit, quæ annalibus Hannoniis inserta reperio, & anno millesimo centesimo decimo quarto in vsum recepta. Itaque Valentianæ ab illa tempestate Hannoniis sunt annexæ, & cum illis ad Burgundos, inde ad principes Austriacos translatæ.

Sunt igitur septendecim celeberrimæ regiones, præter titulum Lotharingiæ, Brabantia, Limburgum, Luxemburgum, & Geldria, apice Ducali præ cæteris eminētes: Flandria, Artesia, Hannonia, Hollādia, Zelandia, Namurcum, & Zutphania Comitatus, S. Imperij Marchionatus, & Frisiæ, Machliniæ, Vltraiecti, Transiselanæ & Groeningæ amplissima Dominia. Has Belgij vel Inferioris Germaniæ prouincias Carolus V. Imperator augustissimus, partim hæreditario iure acquisitas, partim suapte voluntate cumulatas, Regi Philippo Monarchæ potentissimo reliquit possidendas; easque se maximi semper fecisse, in illa oratione quam habuit Bruxellæ, cùm ab Imperio Belgij decederet, grauiter & disertè in comitiis exposuit. Nam inter quadraginta quas suscepit expeditiones profectionesque serias & Imperatorias, decies in suas prouincias Belgicas, aut ad motus ciuiles maturè comprimendos, aut ad belli externi pericula propulsanda festinanter aduolauit, illoq; testimonio suam in Belgas voluntatem declarauit. At Cæsare frequentibus per orbem terrarū bellis euocato, Margareta eius amita virtutis incomparabilis heroina, prouinciam procurauit; Cui in eâdem administratione à Cæsare suffecta est eius soror Maria Hungariæ Regina, quæ sexum femineum animi magnitudine in hoc munere superauit, & permulta viginti quinque annorum spatio, quibus Belgio præfuit, constantiæ prudentiæq; exempla edidit, & posteritati prædicanda reliquit. Nec minori certè studio susceptas prouincias Rex Philippus prosecutus est, principatus sui exordia, insignibus victorijs ad fanum D. Quintini & Grauelingam partis, feliciter auspicatus. Erat eo tempore fortunatus & tranquillus Belgicarum rerū status, principe prouinciam tam suâ pręsentiâ quàm Emanuelis Philiberti Allobrogū Ducis vigilantia administrante. Tum Rex conuocatis ordinum comitijs, sententiam illis suam de necessario in Hispaniam reditu, causisque grauissimis Africani litoris præsidio muniendi, significauit. Et iam pace constituta, imperij dignitatem & administrationem in sororem Margaretam Octauij Farnesij Parmæ & Placētiæ Ducis coniugem, cum aliquot Belgarum nobilissimis proceribus, qui singulas singuli ditiones procurarent, cum magno omniū assensu contulit. Verùm Principe digresso parum diuturna fuit Belgij felicitas. Nam auctores factionis, qui reuerentia & metu principis præsentis in officio permanebant, per suos emissarios & occulta consilia perturbare Remp. & velut per cuniculos labefactare cœperunt, mox in seditiones apertas erumpentes. Hoc igitur incendium partim quorundam ambitione, partim aliquorum egestate alebatur, hi æmulatione, illi cupiditate flagrabant. Ita cùm gratiosi apud Regem ministri, & in summis dignitatum gradibus constituti, inuidię ventis circumflarentur, dominatū & potentiam ad Remp. subuertendam illorum aduersarij haud obscurè affectabant: atque illis tum nihil facilius erat, quàm homines illos ad partes suas trahere, qui rei domesticę difficultate, culpa & turpitudine laborabant. Horū enim ingenia insito quodam animi furore, ad nouos motus conuersionesq; rerū inclinare sciebant, nullamq. pœnę metu in ocio securitatem ponere, deniq; magnitudinem æris alieni communi iactura sarciendam præuidebant. His itaq; duces discordiæ ministris, & seditionis signiferis vtentes, tessera conflatæ conspirationis in publicum prolata, omnibus tamen sermonibus & rumoribus fidem & obsequiū Regi debitum inserebant, vt optimos subditos regijs præceptis obtemperandi cupidos præclaro suarum actionum titulo incautos deluderent, atque vt neglectis tumul-

tuum principijs, bonos tantiſper, in Repub. vindicanda aliâs etiam tardiores, haberent occupatos ad inquirendas illorum voluntates, dum ipſi maioribus præſidijs & copijs ad oppugnandas prouincias munirentur. Quapropter honeſtum dignitatis Regiæ nomen factis ſuis improbis & flagitijs prætendebant, donec tetra illa natio, & perditiſſimorum hominum colluuies, qui ab impijs & peſtiferis contra Orthodoxam religionem dogmatibus hæretici appellantur, à perduellionis auctoribus immiſſi, plebem ſimul à religione & à Rege abalienauit. Huc accedebat illud etiam incommodi, quod in ipſa profligatorum hominum paucitate, perita & tempeſtiua conſilia defuerunt, aut tarditate exequentium effectu caruerint, vel perfidia conſciorum malè ceſſerint, aut præſidio neceſſario & viribus deſtituta ſint. Plus igitur apud vulgus admirationis habuit proiecta paucorum conſceleratorum audacia, quàm bonorum omnium conatus valuerunt. Quamobrem rei nouitas & facti inſolentia, idoneam improbis occaſionem præbuit, vt opinionum damnatarum venena latiùs atque fidentiùs diffunderent, & inter lubricas populi voluntates, magiſtratibus ægrè dignitatem retinentibus, impuniùs graſſarentur. Auxerunt hanc perniciem ineuitabili quodam fato vicinæ regiones, Britannia, Gallia, atque Germania, quæ Belgij confinia vndique circumſepta luis eiuſdem contagijs infecerunt. Tum in illa rerum omnium perturbatione Philippus Rex Catholicus de ſuarum ditionum ſalute ſolicitus, Ducem Albanum bellica virtute id temporis ſpectatiſſimum ad bonos in fide & obſequio confirmandos, factioſos & hæreticos exterminandos, legatum cum exercitu in prouinciam miſit. Is initio præfecturæ in multos ex legum præſcriptis animaduertit, & exemplo medicorum, quicquid in hoc Belgicæ Reipub. corpore peſtiferum deprehendit, amputandum iudicauit, vt potiùs aliquid membrorum noxiorum, quàm totum ſimul corpus interiret. Hoc plurimi conſilium ceu durius improbabant; contra præſes ſentiebat, & poſſe Rempub. ſaluam vniuerſam conſeruari negabat, niſi ciues ſcelerati & impij delerentur, ad hominum innocentium & bonorum ſecuritatem. Præterea naſcentem & imbellem adhuc hæreſim ab adulta & potenti hoc modo diſtinguebat, vt teneram eius ſegetem in herba ſuccidendam, ne facta maturior diſſeminaretur latiùs, vir grauis & ſeuerus morum cenſor aſſereret: atque cum maiori Reipub. commodo rigidè in hæreticos animaduerti contenderet, cùm paucorum hominum temeritas & audacia non eſt pertimeſcenda. Et reuera conſilio reſpondiſſet euentus, ſi ſtatim à primo in prouinciam ingreſſu, curam omnem in rem maritimam conieciſſet, portus occupaſſet, fluminum fauces muniuiſſet, neque eum poſt quartum imperij ſui annum perduelles præueniſſent, ſeque in inſulas recepiſſent, eaſque ad defectionem armati compuliſſent. Ad quas recuperandas, cùm legatum prouinciæ neceſſitas excitaret, multa geſſit præclarè pro imperij dignitate; tametſi terreſtres eius expeditiones feliciùs multò ceſſerint, quàm nauales & maritimæ. Nam viribus claſſes & copijs inſtructiſſimas in hoſtem ſæpe duxit, ſed quæ cum maiori frequentiùs apparatu quàm ſucceſſu dimicarunt. Erat nihilominus tanta eius viri toto orbe exiſtimatio, quam rei militaris peritia comparauerat, vt totam pacaturus prouinciam crederetur, ſi tertium imperio triennium acceſſiſſet. Porrò ſucceſſori Ludouico Requeſenio prouinciam tradidit, ad quam perpacandam quædam inſulæ Zelandicæ, & opida vtriuſque Hollandiæ ſupererant. Suſcepta præfectura grauis belli reliquias ſtrenuè Ludouicus acriterque proſecutus eſt, quod capta Ziericzea confecturus videbatur, niſi morte præuentus, poſt imperium biennij, victoriæ materiam poſteritati reliquiſſet. Secuta eſt eius obitum ſtipendij militaris per tumultum petitio, quo malo prouincia præter cætera incommoda frequenter affecta eſt, ſed nunquam exercitus magis importuna ſeditione laborauit. Hanc enim occaſionem fallaces & callidi perturbatores idoneo ſibi tempore oblatam geſtiebant, quòd Imperatore, qui motus exortos auctoritate reprimeret, deſtituta militia, vita licentiori & diſſolutiori ciuium animos irritaret, & offenſæ militares illis arma expedirent, quibus ad ſui defenſionem vterentur. Neque tum peritiſſimi artifices defuerunt, qui exulceratas populi voluntates magis etiam magiſque exacerbarent. Quid multis? ad arma vbique conclamatum eſt, bellúmque renatum, conflatum & ſuſceptum, cui Ioannes Auſtriacus tam bellica gloria quàm omni

omni virtutum genere clariſſimus, edicto perpetuo & militis peregrini miſſione finem fecit. Tum bonorum animi ad certam ſpem quietis, ceu clauſo Iani templo reuera erigebantur. Sed homines nefarij, qui odijs enutriti bellis & diſſenſionibus paſcuntur, cùm animaduerterent religioni cultum, Regi obſeruantiam, legibus dignitatem per pacem reſtitui, ſcelerum conſcientiâ nuſquam ſe poſſe conſiſtere diffidentes, nouas confeſtim factiones moliuntur; ſtabilem in pace negant eſſe fiduciam, ſed omnia ſuſpecta & ſolicita eſſe dicunt. Hinc iterum in partes vtrinque ſeceſſum eſt, bellumque multò acrius, quàm antea recruduit. Nihil tamen à ſolita ſua magnitudine remiſit Auſtriacus, ſed contractis celeriter exiguis primùm copijs, quaſdam beneuolentia (erat enim in hoc Principe ſingularis humanitas) ditiones ſibi adiunxit, quaſdam verò armis officij ſui admonuit, vniuerſam prouinciam in ordinem redacturus, niſi ſimul illam cum vita reliquiſſet, in ipſo ætatis flore immatura morte raptus. Rebus eo tempore velut in procinctu victoriæ conſtitutis, Alexander Farneſius præfecturam ſuſcepit. De cuius viri laudibus, virtutibus & præſtantia, ob recentem maximorum factorum memoriam diſſerere differemus, quòd amplitudo tua, Sereniſſime Princeps, in edita iſta ac præcelſa ſpecula res ab Alexandro fortiſſimè geſtas, manifeſtè conſpexerit, quas nos ob ingentia in Belgicam beneficia adhuc prope intuemur; deinde quòd in hac oratione, quam ſummatim perſequor, verendum mihi ſit, ne ſplendor earum atque magnitudo, dicendi à me inopia minuatur. Etenim vt immenſos illius labores pro Chriſtiana Repub. ſuſceptos, eiuſque victorias memorabiles omittamus, tam ſanctam apud hoſtes fortitudinis & fidei exiſtimationem peperit, vt vel illa ſola armis omnibus violentior, ſeductorum ciuium animis ad religionem & obſequium reducendis ſuffectura videretur. Non tamen hoc Regiæ Maieſtatis hoſtem latuit, ſed ad populum in cœpta defectione retinendum, animoſque ad Parmenſem nutantes expugnandos, maiores machinas admouendas eſſe cenſuit. Quamobrem accitis duce Alençonio Gallorum auxilijs, quos moribus & dominatus impotentiâ à noſtris hominibus valdè diſſidere non ignorabat, planè confidebat illorum aduentum votis ſuis magnopere profuturum. Gallico enim principatu per nefas introducto, grauioribus populum criminibus obſtringebat, eo animo & conſilio, vt ſcelerum multitudine & immanitate, homines in eum pœnæ metum conijceret, ne ab incepto abduci poſſent, de Regis bonitate clementiaque diffiderent, & ab omni in gratiam reditione deſperarent: Exinde vt reges Catholicum & Chriſtianiſſimum hoc bello committeret, & inter ſe collideret, dum ipſe communis periculi ſpectator quietus ſederet, & apud Hollandos Halcedonia agitaret. Sed neutrum inſtitutum ex arbitrio illi ceſſit. Exactis enim è prouincia Gallis, multæ ciuitates, multi viri nobiles & boni ciues egregium Reipub. officium præſtiterunt, & iniuriæ opinionem beneficio exſtinxerunt. Qua in re illuſtria fortitudinis exempla Antuerpienſes ediderunt, quos in diſſidijs animorum inteſtinis, periculi ſocietas, veluti facto ſyncretiſmo coniunxit, vt à Gallico dominatu ſeſe armis vindicarint. A Rege præterea Gallorum reiectis Hollandorum, Zelandorum, aliorumque oratoribus, poſt cædem Auraici (qui à primo percuſſore Antuerpiæ vulneratus, ab altero Delphis Batauorum ſublatus eſt, priuſquam Hollandiæ, Zelandiæ & Transrhenanæ ditionis principatum, quem à belli exordio ſpe deuorauerat, vſurpatum ſtabiliret) auxilia Britannorum implorantur, & ab eius populi regina mittuntur, ſubſidiariæ quidem ſocietatis titulo, quam ἐπιμαχίαν Thucydides vocat, ſed quæ reuera ξυμμαχία fuit, & πρὸς τὸ συναδικεῖν inſtituta coniuratio, quæ ſtatim in bellum manifeſtum erupit. Res magnas interea gerebat Farneſius, nihilque omittebat quod ad conſeruandam religionem Catholicam, & ad recuperandas prouincias pertineret. Sed vltimo imperij ſui triennio, morbo impeditus, & tertiò in Galliam cum exercitu profectus, tam expeditionis, quàm præfecturæ munere ſimul cum vita functus eſt. Petrus deinde Erneſtus Mansfeldiæ comes, ex regio mandato præfecturam ſuſcepit, donec Sereniſſimo Erneſto Archiduci imperium delatum eſt: Cuius deſideratiſſimus in Belgium aduentus, tantam huic populo fiduciam ſecum attulit, vt omnes temporis acerbitates ad eius conſpectum depoſuiſſe videatur. Hoc enim ſibi perſuaſum habet in his Reipub. difficultatibus, ſe principem ad eas ſuperan-

das meliorem, ne optando quidem informare, nec à Rege gratiorem exſpectare potuiſſe. Siquidem cùm generis claritatem intuemur, non alius mitti potuit, qui Regem propiore & Principem Philippum ſanguinis neceſſitudine contingeret, aut eminentiorem huic muneri obeundo, è domo Auſtriaca gradum obtineret: cuius Auguſtiſſimæ familiæ ſplendorem aut verbis aut ſcriptis ob oculos ponere tam arduum equidem ac difficile duco, vt quiſquis hoc facere pro dignitate parum putet, eundem ſit neceſſe res maximas ingenij velle culpa deterere, vel notiſſimas ignorare. Ecquis enim eſt hodie tam longinquus in orbe locus, aut ab hominum conſortio remotus vſquam angulus, quo non gentis Auſtriacæ fama peruaſerit? Quæ gens, quæ natio moribus & honeſtis exculta diſciplinis, vel ab omni ciuilitate cultuque aliena, quæ non iampridem familiæ præſtantiſſimæ nomen, gloriam & poteſtatem admiretur? Veruntamen quia Principum Auſtriacorum virtus tam illuſtri & ſublimi loco eſt poſita, vt ſatis ipſa per ſe, nullo alienæ prædicationis lumine adhibito, ab omnibus conſpiciatur, ab inclytæ gentis laudibus in præſens abſtinebo; tantùm nonnullas rationes perſequar, cur in impeditiſſimis Reipub. temporibus, prouincia Belgica ſplendorem ſuum priſtinũ, cui in ſingulos dies hoc bello diuturno tenebræ obſcuriores offunduntur, ductu Erneſti Principis optimi ſe breui recuperaturam non dubitanter de eius virtute & ſapientia ſibi pollicetur. Quandoquidem igitur nemo vnquam bellum geſſit, niſi animo debellandi, nec inimicitias immortales eſſe decet, neque telum quiſquam ſumit vt idem nunquam è manibus deponat, cauſas ego aliquot præcipuas deprehendo, cur hoc bellum videatur ad finem perducendum, peræquè neceſſarium vt ab omnibus expectatum. Primam harum cauſarum à ſeipſis Belgæ petunt, & à præteritorum malorum memoria. Enimuerò quicquid flagitijs improborum, vel effrenata nocentium audacia, quicquid aliorum errore, vel etiam omiſſione peccatum eſt, hoc ſumpto partim de damnatis ſupplicio, partim exſilio proſcriptorum expiatum eſt. At in reliquum Belgici nominis populum, tot hominum cædibus, tot vrbium excidijs, & agrorum vaſtitatibus Mars vltor in omnes promiſcuè animaduertit, vt plures innocentes quàm ſontes perierint. Quocirca non ſolùm qui leuiùs deliquerunt, è media velut Stoicorum diſciplina cum facinoroſis pœnas æquas dederunt, ſed quod in hoc bello miſerrimum fuit, ad innumeros peruenit exitij communio, quos nulla culpæ ſocietas coniunxerat. Hoc autem vt ab omni iuſtitia alienum, Deum Opt. Max. diutiùs permiſſurum nequaquam confidimus; nec Regis clementiſſimi conſilijs defuturum, quin partis melioris commiſeratione, quæ nihil prius aut antiquius habet, quàm Diuinæ & Regiæ Maieſtatis obſequium, horum omnium habeat ſalutem commendatam, finem his tandem cladibus imponendo, quorum innocentiam cum ſceptro ſuſcepit ab iniuria vindicandam. Quanquam verò non vnius ſunt generis, neque numero finitæ calamitates, quibus culpa vacans & imbellis multitudo tot iam annis afficitur, à communis miſeriæ inſuaui narratione abſtinendum eſſe ducerem, niſi aliqua eiuſdem commemoratione, vniuerſum Reipub. Chriſtianæ conſeſſum, æquiorem nos iudicem habituros putarem, cur huius belli finem tantopere efflagitamus. Quoniam igitur religione & vero Dei cultu, nullum arctius & firmius Reipub. eſt vinculum, quo ſoluto & reuulſo collabi omnia & concidere neceſſe eſt, quis hominum benè de religione ſentientium, atrociſſimis illam ſacrilegorum iniurijs, & nefarijs hæreticorum contumeliis exponi, indigniſque modis exagitari, ſublato legum metu diutiùs ferat? Quis conceſſo profanatis atque conculcatis veterum ſacrorũ ceremoniis, ac veluti bello pietati indicto, latrones ſceleratos in Eccleſiam Catholicam vlterius inuadere aut graſſari patiatur? Quis iura diuina & humana miſcere, polluere & euertere impuriſſimum genus hominum, proſtratâ Chriſtiani nominis verecundiâ, & fractis ad libidinem iuſtitiæ repagulis, amplius toleret aut ſinat? Nam ex eo tempore, quo fœda & luctuoſa fax ſeditionis in Inferiorem Germaniam illata eſt, qua vicinæ regiones multò antè deflagrarunt, quos non faniaticorum per ditiones pulcherrimas debacchantiũ furores, quæ impietatis portenta non vidimus? Contempto & proiecto Regij nominis metu, & exterminata iudiciorum auctoritate, ad Diuinam Maieſtatem imminuendam, & pro nihilo habendam flagitioſa continuò

prorupit

prorupit audacia, vt à nulla scelerum immanitate, à nullis facinorum exemplis abstinuerit. Quantus autem horror pias mentes perfuderit, quantus sanctitate & numinis æterni veneratione imbutos credentium oculos stupor oppresserit, cùm religionem, quâ vna spes vitæ beatæ continetur, à pestibus illis non contaminari modò & infici viderent, sed contagiosum illud hæresis virus letalem cultui diuino perniciem tandem afflaturum pro comperto haberent, quilibet ex eo coniecturam capiet, quòd animus res illas memorare refugiat, quas illi Catholici nominis hostes, impij in Deum, crudeles in Catholicos, in ædes sacras nefarij, in Ecclesiæ bona rapaces, in omnium fortunas insolentes perpetrarunt. Taceo solennium sacrorum ludibria, templorum euersiones & incendia prætereo: nulla enim res vsquam fuit, vel signum vel imago religiosè à maioribus posita, nec aræ Diuorum memoriæ dedicatæ, ad quas vi & armis accedere potuerunt, quæ à sacrilegis eorum manibus intactę aut inuiolatæ permanserint. Quod itaq; barbarus & Christianorum sempiternus hostis, regnis & vrbibus in potestatē redactis permittit & tolerat, hoc locis & opidis per nefas & iniuriam suo principi ademptis, hoc fraudibus & mendacijs personati Christiani, primùm è Rep. tollendum existimant; neq; in vrbium quas inuadunt aut occupant direptionibus, prior neque maior à militiæ præfectis cura adhibetur, quàm vt loca sacra è vestigio profanētur, à donarijs & antiquis ornamentis spolientur, sacri cineres, sanctorumq; ossa & λείψανα dissipentur, sacerdotes eijciantur, piorum virorum sodalitia dissoluantur, virgines Deo sacræ è suis sedibus abripiantur, diuina denique omnia ignominiâ concidantur. Et huiusmodi in Deum & homines opprobria ab hoste recētibus victorijs ferocuIo, qui nostro vel errore vel socordia nititur, in illis quibus ipse minatur ciuitatibus, ô Belgica, exspectabis? Quæ à multis retro seculis Christianę militiæ nomen dedisti, quę sacras sæpenumero expeditiones ad religionem conseruandam, eamq; in finitimis & longinquis regionibus propagandam suscepisti? Quę tot principum, tot virorum studio & ardore pietatis flagrantium parens & educatrix exstitisti, vt ex vno ducum Brabantiæ stemmate & affinitate, trecenta numerentur vtriusq; sexus nomina, quæ ob vitam sanctè & innocenter peractam inter diuos relata vel beata, memoriam in terris religiosam reliquerunt? In quibus maiorum solennibus institutis, ac debita sedi Apostolicæ obedientia, vt Belgica securè & constanter perseueret, vt ciues Catholici in officio maneant, vt populi qui fœdissimorum veteratorum fallacijs, & execrandis opinionibus ab Ecclesia desciuerunt, mutato consilio ad sanitatem redeant, nefaria primū arma sunt hostibus extorquenda. Adfert enim illud etiam mali, pręter cetera incommoda hoc bellum ciuile, quod in summa flagitiorum impunitate & licentia, etiam prauè opinari indulgentiùs permittatur, & cùm sceleratè facientibus ignoscitur, à malè sentientibus difficilior sit cautio. Obmutescentibus ergo armorū strepitu legibus, & quolibet feritatis & insolentiæ spectaculo oculis hominum assuefactis, facilè in illorum cogitationibus peruersæ disciplinæ venenum instillatur; quod militis infecti similiter contagio letalius efficitur, sumpto ab illius impijs facinoribus auctoramento. Parti pręterea cuius ductu & periculo bellum geritur, etiamsi per se illa moderatior est, multa sunt arbitrio militaris insolentiæ impiè in Deum, in leges iniustè, nequiter in omnes facienda & concedēda, & in bellicis actionibus mos illis gerendus est, per quos aut vicisse aut victurum se quis putat, neque sui iuris manere diu potest in rebus ad religionem spectantibus quisquis cum impijs sese colligauit. Quapropter ne incendium, quo annis, penè dicam, triginta deflagramus, in perniciem animarum dilatetur vlterius, neq; vires illi addat tēpestas diuturnior, nequando vicinas cis Rhenum & Mosam prouincias corripiat: vt illorum quinetiam saluti consulatur, qui piè de Catholica religione sentientes, ijsdem in locis quos occupant hæretici, propter impedimentum rei familiaris degere atque manere coguntur, vbi patrio ritu Deum colere prohibentur, & liberos maiorum institutis educare iniquissimis edictis minaciter vetantur, decretisque terrentur, qui vbi adoleuerint, tam erunt à verę pietatis obseruantia alieni & hospites, vt solennes Ecclesiæ Romanæ cerimonias, ceu peregrina quędam sacra auersentur & respuant, nec minor difficultas in illis Ecclesiæ reddendis versabitur, quàm in Mahumethicis vel idololatris Euangelicæ veritatis doctrina instruendis; vt inquam religio non

penitus intereat,castra disturbanda sunt, aciesque perrumpendæ, & illa sanguinaria impietatis nutricula, Bellonam dico,ex vrbibus atq; agris est exterminanda, ipsaq; ciuilis seditionis alimenta, arma è manibus sunt excutienda, vel quauis ratione ponenda & remouenda. Quid enim boni per Deum immortalem,in hoc temporum turbine Reip. Christianæ conciliare poterit huius belli diuturnitas? Quam non potiùs religioni contumeliam, calamitatem Belgio adferet,impijs audaciam,hostibus potentiam? Sed ad alteram opportunè rationem veniamus,cur regiæ Maiestatis in Belgio subditi,sua permagni interesse existimant, ne serpat vlterius in patriæ suæ viscera intestini belli pestis;id ego Reip. detrimentū appellabo, quæ priuatas cuiusq; fortunas comprehendit. Nam quem tādem exitum à cædibus, incendijs & rapinis exspectamus? quis iugulum à ferro,tecta ab incendio, à direptione facultates conseruabit? Quis familiam ab orbitate,coniugium à solitudine,prædium ab excidio, seipsum liberosq; ab inopia vindicabit? Infinita sunt mortalium millia, qui vel in captis vrbibus,in acie,in fuga,in itineribus ceciderunt. Nihil vsquam tutum est,nihil securum: vitam & salutem latibulis murorum difficulter tuemur: Hostis circūcirca pro libidine grassatur, vrbes expugnat,vastat opida,agros populatur, prædas abducit, latrocinatur, & spolijs prouinciæ onustus reuertitur. Libera sunt illi cum finitimis & lōginquis regionibus commercia: nobis nisi pretio redempta permittuntur. Omnia illi itinera sunt peruia, patent maria, portusq. vniuersi : nobis omnia clausa sunt, & velut inaccessa, & nemo admittitur nisi qui hoc beneficium ab hoste impetrauerit. Eius mercatores ciues & incolæ in omnibus regnis negociantur & nauigant: nostri excluduntur, & à litoribus arcentur nisi hostis indulgeat, quod vt faciat,à nostris redimendum est. Huc accedūt iniquissimæ tributorum exactiones, quæ à miseris agricolis per latrocinium hostes, per vim sub iuris militaris specie præsidiarij extorquent. Atq; ita genus hominum Reip. vtilissimum, partis vtriusq; iniurijs obnoxium, ex arationis laboribus & fructibus nihil percipit nec retinet, nisi quātum ab hostibus & ab illis relinquitur, à quibus non defenditur. Nihil hîc ad odium cuiusquam cōmemoramus; sed si quis militarium de se hîc agi putet,is sciat querimoniam hac oratione institui,non autem conumeliam. Quisquis verò queritur,cum verecūdia flagitat; & frustra mœroris leuamentum posceremus, nisi iusti doloris significatio præcederet. Quin vel ipsis mancipijs hoc liberum semper fuit,vt exclament dum vapulant,gemant,timeantque,suo potiùs quàm alterius arbitrio; & nemo tā iniquus in seruos est dominus,vt quos luctu affecerit, lugere non permittat. Hos igitur questus miles,hæc suspiria, has lacrymas profundere nobis sinat, non modò propter mala,quæ ipse nobis intulit,sed ob ea,quæ vt debuit,à Rep. non auertit. Ad feras & lupos venatu capiendos generosissimos canes adhibere solemus: Sed hîc quauis bellua immaniores prædones,omnibusque flagitijs deformati λυκάνθρωποι per Belgicas prouincias, per omnia itinera,per omnium agros, & prædia grassantur, custodibus in sua statione sedentibus,cladem q; sui gregis ociosè inspectātibus. Quæ enim vsquam regio,quę via, quis locus militari præsidio adeò tutus fuit,quo teterrimorū hominum colluuio, quæ à prædandi libertate nomē habet, non accessit aut perrupit? Quis vnquam equestriū vel pedestrium cohortium in opidis & arcibus excubātium fiducia, è manibus prædonum incolumis euasit? Quis inter quàm plurima ciuium,colonorum,& aduenarum millia,quos ab agris,itineribus,atque ipsis opidorum præsidio munitorum portis & mœnibus vinctos & constrictos illi patriæ parricidæ crudeliter abstraxerunt,& modis indignis suppliciisq; excruciarūt,militari auxilio liberatus,ereptus, aut seruatus vnquam fuit? Itaq; vix vllæ supersunt ciuitates, municipia vel opida,è quibus tutò pedem efferre quisquam potest,vel commercij causa per Belgium proficisci,nam à paucis sicarijs obsidemur vniuersi. Nec quemquam extra muros sua euocant negotia,vel vltrò citroq; commeandi necessitas,quin exercitu stipatus vel militum manipulis conductis iter faciat. Verùm prætereamus minuta hæc dispēdia, quibus comitatum & præsidia sua vendunt: sexcentæ prædādi sunt species & vocabula,& genera spoliādi ad quæstus magnitudinem immensa & infinita. Noua ciuibus miles portoria & vectigalia suo arbitratu imponit & exigit, insolitis agricolæ imperatis diuexantur,vt pręsens rerum status cum prisco Romanorum in Belgica prouincia Imperio comparatus, in eosdem vexato-

vexatores & depeculatores incidisse videatur. Hinc menstruæ pecuniæ contributiones, pabulationes, lignationes, vehiculationes, operarũ ad fossatum vel ad vallum exactiones, epidemetica, hospitia, cœnatica, & quæ in oleum, sal, ligna, seruitia nuncupantur, quæ repræsentata certo pretio redimuntur, quod nisi ad diem præstitum persoluitur, quid prætoris edicto opus est? ipse sibi equos, boues & corpora addicit creditor miles, ipse ducit. Sed hoc est omnium calamitosissimum, quod parum aut nihil eiusmodi impendiorum in belli gerendi subsidium comparatur, nec ad insatiabilem rapacitatem explendam, tam centurionum quàm militum sufficiat. Nam quicquid aut ciuium prouentibus adimitur, aut è colonorum fortunis exhauritur, quicquid ex omnium facultatibus diripitur, ad profundissimos cupiditatum gurgites obruendos haud satis est. Enimuerò si huiusmodi imperatæ pecuniæ rationibus ærarij militaris accessissent, cur toties legiones seditione laborassent? Cur parciùs aut tardiùs numeratis stipendijs, Imperium miles tam sæpe detrectasset? Sed nulla vis argenti, nullum auri pondus, nulla magnificæ supellectilis spolia, nec vlla prouinciæ ornamenta vel deliciæ, voraginem auaritiæ explere potuerunt. Quin etiam stipendia in prædam sunt conuersa, nec aliud ad militem gregarium peruenit, quàm si quid a tribunis vel centurionibus, per luxum aut lusum absumptum non fuit, aut fide nominum traijci non potuit. Aliorum autem facta, qui dum militant in prouincia à rerum emptionibus tenentur abstinere, præterquam earum quæ ad victum pertinent, ad legum antiquarum rationem non exquirimus; abrogatæ sunt istæ leges & mortuæ, iudiciorumque seueritas illa à L. Pisonis temporibus exoleuit. Is enim cùm esset in Hispania prætor, nescio quo pacto, dum armis exercetur anulus aureus, quem habebat, fractus est & comminutus, & alium in foro Cordubæ iussit confici, appenso aurifici palàm auro, qui posita ibi sella omnibus præsentibus nouum anulum fecit. Tanta erat eius seculi religio, ne prætor in prouincia quidquam comparasse, aut ditior ex ea reuersus videretur. Nostris verò moribus non omnino improbaretur vt qui in prouinciam militatum venit, ibi rem & gloriam armis belli pareret, modò finibus legitimis & honestis consisteret habendi cupiditas, nec accisis inexplebili auaritia stipendijs, miles se reciperet in illa cohortium tumultuantium hiberna, aut in stationes seditione collectas; vnde rei bene gerendæ opportunitas negligitur, & consiliorum rationes conturbantur, ipsaque prouincia tot incommodis afficitur, vt in illis militaris insolentiæ perfugijs ab hoste non differat dissolutus stationarius, & vtrumque pari metu aratores reformident, ab alterutro spoliandi. Quapropter illud subditis grauissimum est, auctore Platone, huiusmodi canes à pastoribus nutriri auxilio futuros ad gregis custodiam, & eius saluti inuigilaturos, qui aut famis aut prauæ cuiuspiam consuetudinis intemperantia, immaniter in gregem sæuiant vt lupi. Quemadmodum Tiberio Dalmatarum dux Bato defectionis causam sciscitanti respondit, culpam in ipsos Romanos deriuans, quòd ad gregis custodiam non canes pastorésve, sed lupos mitterent. Taceo reliquas consultò libidines, indignitates, contumelias, taceo impudicitiæ & turpitudinis illecebras, morumque hoc bello corruptorum nequitiam: Mars etenim violentus magister ille, præter cætera mala quæ in se habet plurima, mentibus imprimis publicè priuatimque deterius affectis, peccandi tribuit facultatem, & hominibus rerum copia ad quotidianum vitæ vsum pertinentium destitutis, conniuendi & patiendi necessitatem imponit. Quare morum disciplinâ, quæ iam penitus exsulat, non ante postliminio reuersâ potiemur, quàm populus ab armis ad pristinum vitæ institutum reuocetur. Atque hæc de detrimento quod è bello accipitur breuiter dicta sufficiant. Tertiam verò causam cur à belli assiduitate videatur abstinendum, ad Belgici principatus cuius tutela cum salute Reip. coniuncta semper fuit, & imperij rationes existimo pertinere. Quanta enim fieret, receptis prouinciis ab hoste occupatis, ad Hispanicæ monarchiæ potentiam accessio, hoc gesti plus annis viginti quinque belli difficultas declarauit, neque Belgicos tumultus parui esse momenti vsus rerum edocuit. Quod & Philippus regum maximus clementi in regiones hæreditarias animo, easque recuperandi studio testatus est, qui nullis consilijs, laboribus nec impensis infinitas aureorum myriades excedentibus, ex ærario suo, quo nullum vsquam opulentius extitit, liberalissimè de-

promptis vnquam pepercit, vt eas tranquillitati pristinæ restitueret. Quod etsi immensis opibus & nullo non virium & apparatus genere, quo potestas illa nititur, effectum oportuit, aut confieri posse nemo diffiteatur, illud tamen seriò videtur expendendum, an ad regię magnitudinis dignitatem pertineat, bello in plures annos vt nunc geritur protracto, hostem augeri potentia & audacia, an sint aliæ consilij rationes ineundę ad eum infirmandum atque labefactandum, vt quàm primùm debelletur. Ferunt Thebanos, per frequentes in ipsos Lacedæmoniorum expeditiones, bellicosiores euasisse, & idcirco Lycurgum interdicto cauisse, ne cum vno eodemque populo sæpius manum consererent, ne rudes armorum ignarique militiæ bellare addiscerent. Haud aliter Regis hosti, quia duobus vltra bellum Troianum decenniis cum illo decertatur, sublati sunt animi, vt se rei militaris peritiam consecutum assiduo belli vsu & vincendi progressione, persuasum sibi habeat. Quam ille opinionem si bello vlterius producto confirmauerit, quos ex hac longitudine, nostraque lentitudine spiritus ipse efferet? Quos ille vel principes, vel populos non contemnet? Quos de pace vel induciis internuncios aut legatos ferox victor non reiiciet? Quæ pacta, quas conditiones accipiet, vel iniquissimorum iudicio æquissimas? Quo Regis potentiam argumento probabimus, & vires eiusdem ceteroquin inuictissimas reddemus formidabiles, nisi belli rationes sic instituantur, vt rerum suarum hostis instabilitate, & infirmitate consiliorum detecta, ad vetus officium & obsequium reuertatur? Quod vt breui fiat, non solùm Germaniæ Inferioris interest, sed ad principatus & imperij commoda, denique ad totius Reip. Christianæ vtilitatem spectare, nemo inficiabitur. Si enim de ducum fortissimorum numero, si de militum optimorum qui hoc bello ceciderunt infinitis penè millibus, si de sumptibus in stipendia, in commeatum, in arma, in classem, in tormenta, & reliquum huius belli apparatum erogatis, si de tanta vi auri & argenti conflati, si de tam multis numorum myriadibus ex amplissimis regionibus Hispanicæ potentiæ imperatis indictis, & ex nouo orbe corrogatis, cumulatis, calculus subducatur; quis rerum tam profusus aut ignarus æstimator est, qui tantis viribus & copiis & impensis non esse debellatum, non miretur & doleat? Quis publici patrimonij tam perditus erit censor, qui Regis ærarium cum liberali eius animo ad sumptus in bellū copiosè depromendos, patere semper cupiat, nisi certis de hoste opprimendo rationibus, rectique de bello terminando consilij nitatur conscientia? Postremò quis hanc opum armorumque potentiam, cum exiguo progressu multis annis impeditam, vel Barbaris subiugandis, vel hostibus nominis Christiani delendis, vel sceptro Orientis impurissimi tyranni manibus extorquendo, imparem iudicabit? Hoc igitur belli neruo, hoc robore, hac militia, quæ Belgico tumultu iamdudum distinentur vel ad sacram expeditionem aut imperij prorogationem commodiùs vti licebit, si ad Belgicas prouincias quamprimùm pacandas accuratè conuertentur. Non enim cuiquam videri mirum debet, si hostes se dedere tantisper recusauerint, dum ex bello molestiam sentire sese negant, dum imbecilliorem huius mali medicinam, quàm morbum esse vident, dum opibus illi copiisque circumfluunt, nos funditus bonis & fortunis euertimur; dum illis exportatio rerum quibus abundant, fastidium & satietatem adimit, & earum quibus egent inuectio necessitatem anteuertit; nobis omne ius gentium & communio intercluditur, nisi pretio commercij licentiam redimamus. Verùm si correcta militari disciplina, legumque castrensium seueritate reducta, virtutem illam bellicam resumat exercitus, quâ imperio firmamentum, præsidium Reipub. hostibus terrorem adferre solet; si duces, legati, præfectique legionum ita se comparent, vt quotidie meditentur se in castris & stadio veræ gloriæ versari, non in quæstuosa quadam officina; si tribuni meminerint se illuc conuenisse, vbi acies instruenda & in hostem sit ducenda, non vbi centurionatus & numeri ordinum væneant; si primipilares, signiferi, decuriones, & præsidiarij in suis stationibus permanendum esse norint, non in lustris & cauponis luxuria diffluendum; denique si miles non ad nundinas furtorum & seditionum sciat arma se gestare, sed nomen dedisse religioni defendendæ & publicæ saluti propugnandæ recordetur, non ancipitem belli aleam, sed certam in manibus haberemus victoriam. Præterea si ad immensam nerui bellici potentiam, optima accedat

cedat ærarij dispensatio; si à cuiusque soli cælique peritis, consilia petant ij præsertim, qui in situ locorum, harumque regionum, quæ mari cinguntur, portubus distinguuntur, insulis circundantur, peregrini sunt; qui in vsu, consuetudine, in exemplis, moribus, institutis, in prouincialium ingeniis & voluntatibus sunt hospites: Si publici muneris quisque functionem ad veram laudem magis quàm ad ambitionem referat: si communis compendij, potiùs quàm priuati, omnes studio ducantur: si quantum in bello celeritas valet viri militares regiique ministri assiduè meditentur, neminem ab aditu vel congressu suo premant, neque tam seueram disciplinam domi habeant, vt vix nuncius admittatur res magnas allaturus, qui excitet dormientes, aut vigilantes interpellet, nunquam rerum gerendarum elabetur opportunitas: si per fidos emissarios & speculatores consilia hostis omnia sic intercipiantur, vt quid agat, quid moliatur, quibus equitum peditumque, & apparatus viribus instruatur & valeat, quò & quà tendat, duces nostri militares certiores ante fiant, quàm aduentu inopinato ditionem vllam opprimat, aut improuiso damno Rempub. afficiat, sæpe locus erit stratagemati & insidiis, quibus eius exercitus aut intercludi possit, aut ita cædi & deleri, vt factionis suæ homines, cladis intolerantes, primùm animis consternentur, tum si peritia vincendi ad victoriam accesserit, ex trepidatione in tumultum prolabantur, hinc ad secessionem & ciuilem discordiam, quâ se ipsi expugnent, atque simul vniuersim, aut truncatim sese dedant. Postremò si cum exteris, vicinis & remotis principibus populisque (quorum Batauì commercio carere omnino nequeunt, aut quibus est perutilis negociatio in Hispania) societas contrahatur, exemplo Romanorum, qui cùm essent potentissimi, haud turpe duxerunt, aut imperij Romani magnitudine indignũ, gentes socias asciscere, socialia bella gerere, ipsos etiam Batauos, Æduos & Aruarnos fratres & amicos suos appellare, breui debellatum fore comperiemus. Denique si rebus omnibus ad bellum terra marique gerendum & conficiendum instructis, æquissimæ pacis conditiones offerantur, vt constet a subditis non deditionem sed obsequium exigi, Regemque imperium non perniciem petere, tum gentes illas quarum animi iamdudum, improborum hominum religionis nomen cupiditatibus suis prætexentium fallaciis, conuulsi & de statu dimoti fuerunt, & à Regij nominis cultu obsequioque alieni, mutato consilio ac deposita contumacia ad sanitatem & in gratiam cum principe suo redituras confidimus. Quin etiam omnia Regis optimi consilia ad exitum belli inclinatura speramus, vt omnes gentes sciant, eum bella non minùs clementer finire, quàm iustè suscipere: neque sibi ex strage subditorum suorum, cum virium insigni imminutione victoriam, sed partum sine sanguine triumphum proponere: illumque prudentium medicorum exemplo cum Repub. acturum, qui cùm vrendo vel secando parum proficiunt ad morbum depellendum, sed ipsum ægrotum magis confici animaduertunt, aggredi mitiorem curandi rationem satiùs multò ducunt, & fomentis, malagmatis ac lenioribus medicamentis ægrum cum morbo diutiùs alere, quàm continuatis prioribus remediis vtrumque simul tollere. Etenim etsi animi incorporei sunt, tamen habent multa cum corporum naturâ conuenientia, & eandem propemodum sanationem requirunt. Sic bellicum furorem pacis arma compescent, & quod sine certo interitus periculo expugnare vis non potuit, concordia superabit. Rex siquidem diuinæ pietatis & clementiæ, quam multa tolerare quotidie videmus, quæ tamen non probat, benignus imitator, quædam permittere, quæ difficulter possunt prohiberi, & subditis implacabili odio dissidentibus, fœdere facto potiùs ignoscere in animum inducet, quàm ita se ad bellũ internecinum cõponere, vt cùm velit ignoscere, quando qui seruentur non erunt, non possit; neque videant homines quibus pepercerit, nusquam relicto mansuetudinis monimento. Itaque conniuendi necessitas illa, quâ Regis clementia ob salutem subditorum se astringi patietur, medicorum similiter exemplo comparabitur, qui ex malè affectis hominum corporibus vitiosos humores paulatim educunt, ne simul vniuersos eliciendo occidant, quos sanare receperunt. Etsi igitur vbi atroces belli impetus resederint, non statim è morbo, quo penè contabuit, euadet Respub. nec ab illis vulneribus, quæ homines profligati pestiferis opinionibus letaliter inflixerunt, pristinam continuò firmita-

firmitatem recipiet, sed cùm pax illa animorum studio partium infectorum conciliatrix, discordias, odia, & dissensiones, capitales illas Reipub. pestes, æterno fœdere primùm eliserit, cùm ab agris depulerit vastitatem, direptionem ab opidis, à templis sacrilegia, quis non intelligit fore, vt ordinis Ecclesiastici auctoritate restituta, ac ritibus veteribus in iisdem prouinciis, quæ publicè illis carent, denuò confirmatis, impiorum dogmatum fibræ sensim euellantur, omnesque radices paulatim excidantur? Adimetur enim nouis veteratoribus illis, (qui fraudibus & mendaciis toti consuti, ceu nuper de cælo delapsæ & sibi solis patefactæ Euangelicæ veritatis apud plebem indoctam nomen obtendunt) suum virus vlterius spargendi facultas, & detectis simulatæ pietatis inuolucris, quibus illi personati in scenam ementitæ religionis prodierunt, cunctisque integumentis fictæ simplicitatis, quâ vulgo imposuerunt, subductis & remotis, incipient tunc homines quasi tenebris discussis lucem ex illa caligine dispicere, quâ religio Catholica oppressa & sepulta aliquot annis nunc iacuit; verusque Dei cultus belli assiduitate obsoletus & exstinctus doctorum virorum concionibus reuiuiscet, & cum vitæ integritate morumque sanctimonia consentiens oratio, quam strepitus armorum aliquamdiu intercepit aut planè non admisit, & temporis diuturnitas multa conficient, quæ vi & ferro confici difficulter potuerunt. Itaque in præsenti tam de religione quàm de Regis obedientia dissensione, non secus quàm in fidibus aut tibiis faciemus, in quibus si quid discrepat, non statim iracundè neruos incidimus, abrumpimus aut abiicimus, sed adductis vel laxatis moderatè verticillis, flatuque temperato, ad concentum harmonicum paulatim redigimus. Tum malis & improbis, quibus scelerum conscientia nihil tutum aut securum in pace relinquit, qui nullum in iudiciis vel legibus locum habent, insolentia & immanitas, quâ illi multos annos in Rempub. insultarunt, in fugam & trepidationem conuertetur; Bonis, qui in sordibus & mœrore iacuerunt, alacritas excitabitur, vt errantes admonere, contumaces reprehendere, instabiles audeant confirmare, omnesque sibi vitam potiùs eripi patiantur, quàm religionem. Quamobrem non ante dignitatis ornamenta, & præsidia stabilitatis Ecclesia recipiet, quàm ab armis recedatur, & pax illa cælo dimissa animos æterno fœdere coniungat, atque ab omnium ceruicibus, tectis & fortunis, ferrum, flammam, rapinas & iniurias propulset & arceat, totamque belli molem in hostem immanissimum conuertat & retorqueat: Quo victo, præter gloriam, imperij & potentiæ Christianæ amplificatio victoribus proponitur. Hoc seriò cogitandum vniuersis Christianis principibus relinquimus, qui dum inter se odiis implacabilioribus decertant & diffident, quàm factio Mahometica à Christi causa dissentit, faciunt vt hosti teterrimo sint despectui, qui animis viribusque conspirantes & coniuncti terrori esse solent. Conquiescant igitur intestina hæc dissidia, dum ad illud commune Reipub. Christianę incendium restinguendum simul omnes concurrimus, dum ad sacram militiam expedimur vniuersi, dum vires in Belgio impeditæ colliguntur, dum arma, commeatus, stipendia comparantur, dum classis & armamenta instruuntur, quibus Belgica prouincia tranquillitati restituta maximam facere accessionem poterit. Nam illa in sacris expeditionibus à suis principibus sæpenumero susceptis strenuè semper & gloriosè militauit. Huc Regis accedent ex Inferiori Germania legiones; enimuerò pacato & tranquillo prouinciæ statu, facilè illa milite præsidiario carebit, & adhibita vtrinque securitatis cautione, in qua pacis componendæ præcipua, vt opinor, difficultas versatur, causa nulla erit de præsidiis cogitandi. Omnes enim ditiones Principi & tranquillitati restitutæ, nil desiderabilius aut optatius habebunt, quàm in eius obsequio constanter permanere, nihil magis nefarium perfidiosumque putabunt, quàm fidem non seruare. Neque certè stabilius aut firmius est imperium, quod metu retinetur, parum diuturni officij magistro, quàm quod moderatione & clementia adiungitur. Videmus vim sermonis, qui si lenior habeatur, furorem fremitumque indignantium demittit; contrà asper iram prouocat mansueti quamuis hominis; venia concessa ferocem quemque placat, supplicium vel mitissimos animos exasperat: & actiones violentæ quantumuis iustissimæ semper omnes irritant, mitigant leniores, ideoque faciliùs persuadendo quispiam


piam

piam quàm cogendo eò adducitur vt vel grauissima subeat. Quod adeò natura comparatum est & insitum, vt brutorum animantium permulta robustissima alioquin & ferissima blandiendo cicurentur, inescandoque perdomentur, alia timidissima atque imbellissima malè habita aut territa, ad iram prouocentur. Adhæc multò securiùs cum principibus agitur, qui tutissimas excubias ciuium charitate & beneuolentia metiuntur, ac legibus & metu iudiciorum circumscepti ingeniis imperant, quàm qui præsidiis armatorum stipati, ferri solo conspectu, oculis formidinem & corporibus inijciunt. Quibuscunque denique venia donabitur, eos pœnitebit principem vnquam lacessiuisse, vt lædere benefactorem in posterum vereantur; sed spe consequendi maiora ab illo præmia, officiis eum colent: Qui enim ab aliquo iniuria affectus salutem concesserit eam inferenti, illum omnes confidunt accepta beneficia cumulatè pensaturum. Nec minus recentis benefacti recordatio & prosperitas illa, quam Belgica tota natio sui Principis clementiæ acceptam semper feret, eam Regi obsequentem in officio continebit; ne si fidem promissorum semel exuat aut minuat, ea bona atque commoda, quibus pace facta perfruetur, excutiat, cuius illa dulcedine carere nunquam volet, quoties illam voluptatem cum temporum superiorum acerbitate comparabit. De qua felicitate, Cardinalis amplissime, incredibilem spem concepimus ex aduentu Serenissimi Archiducis fratris tui, illustribus argumentis, firmisque fundamentis proculdubio subnixi. Cùm enim huius Principis virtutes intuemur, quas habet singulares, & generis claritate & imperio dignissimas, rationem atque viam ad huius belli exitum alterutram conspicimus: Nam summa eius bonitas, animique moderatio, quâ cùm honesta omnia, tum concordiam imprimis & prouinciæ salutem commendatam sibi habet, tantam hosti conciliabunt sui admirationem & existimationem, vt æquissimis conditionibus ab illo proponendis è vestigio acquiescat, neque pacis componendæ cautionem aliam petat, quàm deprecatore apud Regem Ernesto, impetratam culpæ veniam, perpetuamque ἀμνηστίαν. Aut consilij grauitate & prudentia consequetur, vt amplissimo imperio abundè omnia suppetant, quæ ad bellum totis viribus gerendum requiruntur, & legibus, armis, militia, & ærario in vnum concurrentibus, potestati eius robur & firmamentum accedat, quod ad citò debellandum & ad pacem prouinciæ tuendam sufficiat. Ingentem præterea fiduciam nobis addit, fraternus tuæ Celsitudinis amor & necessitudo, quæ non deerit præclarissimis germani conatibus & laboribus imperatoriis, sed ad suam & ad gentis Austriacæ dignitatem huius belli confectionem pertinere iudicabit: Vt Regiæ Maiestatis exspectationi, quam de Ernesti Archiducis virtutibus habet, & votis satisfiat; cui ingrauescentis hoc vnum ætatis leuamentum erit, vitæque solatium, si Principem Philippum felicissimæ suæ indolis gloriosa primordia à belli huius exitu auspicari conspexerit. Ad quam etiam rem diuinus adolescens, qui Catholici cognomen à primo statim lucis intuitu accepit, & amorem Ecclesiæ piorumque subditorum cum ipso nutricis lacte suxit, per se ipse naturali quodam impetu fertur, & optimi parentis exemplis & consiliis, tuisque sanctissimis suasionibus incitatur. Quapropter in his temporum doloribus & tristitia, & in hac luctuosa tot annorum perpessione, se inferior Germania consolatur & recreat pulcherrimo hoc spectaculo, patris in illa vitæ virtutumque maturitate salutaribus Philippum institutis & præceptis ad imperium præparantis, filij, parentis maiorumque vestigiis libentissimè insistentis, Alberti Cardinalis omnia recta & honesta imitanda proponentis, & Ernesti Archiducis in curam pacandæ prouinciæ incumbentis. Quin etiam præmaturæ virtutis & prudentiæ (quæ in eius regia educatione, doctorumque virorum assidua consuetudine non exspectauit annos) significatione, quam in hoc ineuntis ætatis suæ flore terrarum orbi dedit Princeps ille iuuentutis Philippus, felicitatis futuræ lætitiam præcipimus, cùm posito à Belgica restituta rudimento, totus orbis Christianus in hoc vno acquiescet, tutissimis præsidiis Philippi tertij muniendus, multorumque regnorum accessione cumulandus. Itaque in hac sceptri, quod iure hæreditario à parentibus accipiet, tractandi tyrocinio, nemo non confitebitur, quin nomen immortale iam nunc partum sibi habeat, multumque suis

maioribus splendoris ipse attulerit, si à Belgij tumultibus ad finem perducendis gloriæ cursum ordiatur. Quod vt fiat maturiùs, ita citiùs hostes ex proscriptione vitam illi debebunt, è bonorum publicatione recuperationem, è bello securitatem; nos eidem libertatem acceptam feremus, omnes salutem & prosperitatem. Cuius beneficij vt causa primaria, quam αἰτίαν vocat Plato, in Regiæ Maiestatis & Principis filij voluntatibus est posita, sic tua & Ernesti, Cardinalis amplissime, serenissimę Celsitudines συναίτιοι & συνεργοὶ siue causę adiuuantes haud exiguam sibi partem meritorum vindicabunt. Hanc populi vniuersi exspectationem optatissimus Archiducis aduentus declarauit, & par omnium gratulatio. In qua describenda quantùm mihi animum tenuitatis meæ conscientia debilitat, tantùm tuæ prudentiæ fiducia eum erigit; neque enim ex hoc scripto intelligere dedignabitur, quàm de bello per Principes Austriacos absoluendo benè omnes ominantur, ad spem meliorem facta inclinatione, quòd in illam familiam omnes Belgicæ ditiones non solùm possidendæ, verùm etiam curandæ reciderint & pacandæ. Interea dum pares virtutibus successus, & ad statum Reipub. & Ecclesiæ necessaria Deus cœpta fortunabit, nulla tam vicina aut longinqua erit natio, quò non fama conatus præclarissimi perueniet, neque vllæ tam ingratæ inter Belgas erunt literæ, quæ de gentis Austriacæ præconiis conticescent.

FINIS.





DESCRIPTIO GRATVLATIONIS PVBLICÆ, SPECTACVLORVM ET LVDORVM, IN ADVENTV SERENISSIMI PRINCIPIS ERNESTI ARCHIDVCIS AVSTRIAE, DVCIS BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET WITTEMBERGAE, COMITIS HABSPVRGI ET TIROLIS, AVREI VELLERIS EQVITIS, BELGICIS PROVINCIIS A REGIA MAIEST. CATHOLICA PRÆFECTI, AN. MILLESIMO, QVINGENTES. NONAGESIMO QVARTO, XVIII. KAL. IVLIAS, ALIISQVE DIEBVS ANTVERPIÆ EDITORVM.

ANTVERPIAE
EX OFFICINA PLANTINIANA.
M.D.XCV.

DESCRIPTIO PVBLICAE GRATVLATIONIS, SPECTACVLORVM, ET LVDORVM, IN ADVENTV SERENISSIMI PRINCIPIS ERNESTI,

Austriæ Archiducis, Aurei velleris Equitis, Belgicis Prouincijs à Regia Maiestate Catholicæ Præfecti, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, decimo octauo Kal. Iulias, alijsque diebus Antuerpiæ editorum.



VM DIVINA prouidentia post herois fortissimi Alexandri Farnesij Parmæ & Placentiæ Ducis è vita discessum, Regis Catholici Principis nostri clementissimi cogitationes & consilia eò direxerat, vt Ernestum Austrium cognatione & affinitate sibi propinquum rerum Belgicarum administrationi præficeret: Archidux rebus, quæ eius auspiciis gerebantur maximæ, omnibus postpositis, & Cæsaris Augusti, Principumque fratrum relicta consuetudine, ab vltima Pannonia, magnis per Germaniam media hieme itineribus, Prouinciam Belgicam sub initium mēsis Ianuarij, tertio verò Kal. Februarias ciuitatem Bruxellam ingressus est. Qui dies non temerè à quibusdam obseruatus est, niueo certè calculo aut vnione signandus, quòd is Paci, quam pro Dea colebat antiquitas, Romæ festus erat, vt Sulmonensis vates in Fastis auctor est; & quòd omnes confidamus Archiducem auspicato in prouinciam aduentu Iano pessulum pacis obditurum, non minùs necessariæ, quàm ab omnibus exoptatæ. In qua quidem vrbe imperij domicilio, & antiqua Ducum Brabantiæ sede tanto omnium ordinum desiderio, populique in Principes officiosissimi votis, & magnificentia exceptus est, vt quantam Respub. in eo spem posuerit, sine vllis hominum sermonibus satis superque apparatus declararit. Sed ea describere quæ ibi sunt acta, non est nostri instituti: nam ab illis exactiùs memoriæ prodentur, qui eadem publico decreto procurarunt, & sicut accepimus literarum monimentis iampridem consignarunt. Primo igitur trimestri exacto in admittendis legationibus, audiendisque ciuitatum Belgicarū salutationibus & postulatis, rebusq; nonnullis ex nouo imperio Bruxellæ constitutis, cùm eius Celsitudinem Antuerpiam videre velle nunciatum esset, Senatus de ea honorificentissimè excipienda pro Reipub. facultate solicitus, curam illam, & auctoritatem in Consulem suum Blasium de Bejar, qui cum Ægidio Gerardi alterum eo anno consulatum gerebat, Carolum Malineum Senatorem, Quæstoresque publici ærarij, & in me opusculi huius auctorem decreto suo interposito contulit. Tum à me inuentis & excogitatis spectaculorum argumentis, quæ oblata magistratui magnopere placuerunt, omnes quotquot in vrbe sunt artifices, architecti, statuarij, pictores, fabri, & alij opifices commissariorum mandatis accersuntur.

Ex quibus aliqui redemptores effecti, propositis priùs conditionibus, vt integris mensuris, ac proba materie opera locanda curarentur, additisque præmiis quibus donarentur, qui precio minori facienda conducerent, structuræ confestim accinguntur. Eiusdem etiam Senatus iussu cum exterorum negotiatorum, seu nationum Antuerpiæ degentium consulibus egerūt iidem Commissarij, & facilè illis persuaserunt, vt pro solita in huiusmodi actionibus liberalitate, & magnificentia communem Reipub. gratulationem adiuuarent, suamque in Principem aduenturum obseruantiam, opere publico, vt cuique videretur eleganti declararent. Quid autem ab illis præstitum sit, sigillatim infrà describemus.

CVM ergo Ernestus Bruxella digressus Idibus Iunij Machliniæ pernoctasset, postridie in iurisdictionis Antuerpiensis opido Lyra aliquot horis commoratus, post meridiem ad

vrbem Antuerpiam rheda vectus vſque ad pagum Berchemum aduenit, vbi à ciuibus armatis, qui eius Celſitudini obuiam prodierant, cum magno deſiderio exſpectabatur. Nam cum rumore allatum eſſet eum Machliniam perueniſſe, ac eodem die quo vrbem ingreſſus eſt, Lyram venturum eſſe conſtaret, ſex vrbis collegia ſagittariorum, ſiue centuriæ in ſex claſſes diſtributæ, quæ conſtant ex ciuibus ſelectiſſimis antiquiſſima totius ciuitatis præſidia ſeu nerui quidam Reipub. ac robora, & viginti armatorum ciuium cohortes, iuſſu magiſtratus intra mœnia in agro qui inter vrbem & arcem medius eſt, (caſtri planitiem vocant) in aciem proceſſerant, eodem quo extra vrbem diſponerentur ordine. facto igitur agmine, & in ordines compoſito, porta Cæſarea armati ciues egreſſi, ſex eadē collegia paulò longiùs quàm ceteræ cohortes in Berchemicum agrum progreſſa, ad pagi templum duobus ab vrbe paſſuū millibus, opportuno loco ſubſtiterunt, & in aciē hoc modo ſe diſpoſuerunt.

Haſtati numero centum quinquaginta, fronte per quindenos inſtructa, decem ordines conſtituebant proportione ſeſquialtera: ſigna militaria in medio locabantur. Iungebantur fronti quini vtrinque ſclopetarij, quorum viginti ordines dextrum latus, totidem læuum cuſtodiebant. Centum quinquaginta collegæ eiuſdem armaturæ, eodem quo haſtati ordine diſpoſiti, à tergo iiſdem præſidij loco erant. Tota phalanx quingentorum armatorum, quinis ordinibus à fronte protenſior, vicenos ordines continebat. Frons ſeptentrionem ſpectabat & viam publicam, qua Principi erat tranſeundum. Nec ita multis à phalange paſſibus bina vtrinque cornua accedebant, centum quinquaginta armatorum ſingula, ſymmetria ſimiliter hemiolia, collocata: quindecim ordinibus ita conſtitutis, vt frons quæ decem armatos continebat, ad Septentrionem ſeſe obuerteret. Ea autem aciem per latitudinem ratione cornua tegebant, vt linea per primum phalangis ordinem ducta, cornuum vltimum tetigiſſet. Conſtabat autem dextrum cornu ex ferentariis qui maiores geſtant ſclopos cum furcillis, moſquettæ vulgò nominantur, notum tormenti miſſilis genus, cuius vſus in primo ſtatim pugnæ loco eſt, quem olim ſagittariis dabant, eaque de cauſa formidabilius, quòd reliquos ſclopos magnitudine ſuperent, & vi certa feriendi. Siniſtrum cornu ſclopetarij occupabant, pari cum dextro cornu ordine, numero, & ſpatio à phalange diſſiti. His armis atque telis omnes ſagittariorum centuriæ belli tempore in excubiis vtuntur, ſed in publicis certaminibus, quibus honeſtè exerceri ſolent, earum binæ quæ D. Georgium tutelarem habent chalybeis arcubus ſiue baliſtis ſpicula eiiciunt, vnde arcubaliſtarij vocantur; Binæ verò D. Sebaſtiani tutela inſignes, ſagittas acernis arcubus emittunt; Quinta ſub D. Chriſtophori patrocinio, nouo tormenti manuarij genere vtitur, quos ſclopos nominamus; Sexta denique, quæ in D. Michaëlis clientelam ſe dedit, gladiatorum more quouis armorum genere cominus pugnat, hinc illius Centuriæ collegæ Dimicatores nominantur. Factitiis vti nominibus in præſenti deſcriptione, armorum noſtri æui ignara concedet antiquitas, quam huius teli inuentione, vt nouis aliis rebus plurimis, longè ſuperamus:. Sclopetarios enim à ſono qui ex buccarum inflatione erumpit, appellauimus. Alio quoque nomine arcubuſios vocamus, ficto ex Italica lingua vocabulo, à foramine ſcilicet quo ignis in puluerem pyrium tubulo contentum immittitur, & arcu, quod plumbeas glandes ſagittæ loco eiaculetur. Tales digreſſiunculas nonnullas inſperſimus, quas non iniucūdas fore putamus. Pergamus vlterius. Ante frontem aciei ſtabant Decani cum ſuis ſinguli eiuſdem muneris collegis, qui tanquam præfecti res Collegiorum adminiſtrant, & vt tribuni, aut centuriones ordines ducunt. His ita conſtitutis, Petrus Erneſtus Mansfeldiæ comes, & Chriſtophorus Mondragonius arcis Antuerpianæ præfectus, accedentem propius Archiducem honorificè ſalutant. Tum Antuerpienſium Conſulum alter (ſunt enim duumuiri tertio poſt Paſcha Dominico die cum reliquis Senatoribus magiſtratum annuum ineuntes) Eduardus vander Dilft qui cum Carolo Malineo III. Conſule, VI. Conſulatum Kal. Maij iniit, (ad cuius officium præcipua ſpectat Reipub. adminiſtratio, vt ad alterum Conſulem iuriſdictio) Principem aggreditur, cui aciem oſtendit, & ex quibus ciuibus illa conſtabat, diſertè ſignificat; accitiſque ad ſe Decanis, ad ſalutandum Archiducem admitti curat, qui manu eius deoſculata, ad ſtationem ſuam reuerſi, ſigno dato diſploſis tormentis, ſiue vtriuſque generis ſclopis, ingentem ſonitum gratulationis teſtimonium edi iubent.

Quæ

Quæ quidem principia Archiducem Ernestum admodum delectarunt, tam rei militaris quam animaduertebat in ciuibus peritia, quàm armorum habitusque elegantia; Nam adeò se omnes armis expeditos, adeò nitidos exhibebant, vt singulos milites singulos ordinum duces crederes. Addebant multum inter cetera splendoris candidæ & rubræ struthiocamelinæ ex Africa pennæ, quibus ferè omnes, galeæ conos, aut galeros adornarant.

Non ego hîc Pœni Imperatoris Annibalis, de forti magis & strenuo exercitu, quàm de eleganti admitto iudicium. Nec illum Venusini poëtæ versiculum;

Nil pictis timidus nauita puppibus Fidit.

vel si qua sunt alia quæ in eam sententiam Antuerpiensis splendoris æmuli solent obiicere. Distincta enim officiorum & temporum ratione, semper publica magnificentia laudi fuit: Et sumptus veterum Romanorum, si Tullio credimus, priuatim tenuissimi, publicè fuerũt splendidissimi. Nam in rebus tantum domesticis parsimoniæ locus est, in publicis autem dignitati. Quæ verò opportunitas ostentandæ amplitudinis publicæ, maior aut melior esse queat, quàm dum excipitur ille Princeps, qui per se amplissimus est, & augustissimus? Vel ad cuius honorem conferre facultates rectius quisque potest, quàm eius qui venit cum summo imperio, ad omnium fortunas è bello teterrimo vindicandas? Neque certè in apparatu militari damnandus est nitor, ne Platonis quidem præcepto, nec ipsius etiam Tullij, quorum vterque hic duodecimo, ille secundo de legibus libro, ad nullos alios vsus βάμματα vult seruari vel adhiberi, quàm ad bellica ornamenta. Ipse etiam Cæsar Iulius fortissimus Imperator milites suos tam cultos habebat, vt argẽto & auro politis armis ornaret, simul & ad speciem, & quò tenaciores eorum in prælio essent metu damni; teste Suetonio. Ipsorum præfectorum curæ etiam incumbit, vt miles veste nitidus, armis fulgens incedat, vt Vegetius tradit. Ceterùm quàm fortiter collegiorum horum ciues, in vrbis custodia & defensione, quam curam præcipuam illi sustinent, aliisque obsequiis Brabantiæ Ducibus olim præstitis, sese gesserint, plurima ab iisdem concessa priuilegia fidem faciunt. Denique extra omnem controuersiam est, ciues & incolas Antuerpienses, tam animi magnitudine, quàm morum facilitate, reliquis Belgij ciuitatibus quàm maximè semper præstitisse.




FECIT PETRVS
VANDER BORCHT
SCHEMATISMVS ACIEI.



PRogrediente porrò Archiduce acies in agmen denuo soluta est, eiusque comitatum septemplici ordine subsecuta, Consule cum Decanis collegiorum ordines ducentibus. Nec iam pago Princeps excesserat, quin alteram viginti cohortium aciem, in campo qui inter pagi limites, & leprosariam medius est, militariter instructam, in conspectu habuerit. Hastatorum quadrata phalanx viginti quinque ordines conuenienti proportione ex omni latere ostendebat, vt armatos sexcentos & viginti quinque complecterentur: viginti signa militaria in medio volitabant. Duces militares vel centuriones pro fronte stabant: latera cingebantur septenis sclopetariorum ordinibus in triginta nouem protensis, vt cum fronte æquarentur. Claudebant autem à tergo phalangem viginti quinque sclopetariorum ordines, ex quatuordecim armatis singuli, qui totam aciem quadratam reddebant, armatos triginta nouem ex omni latere continentem, ac viros mille quingentos viginti & vnũ in vniuersum complectentem. Cornua similiter sic erant disposita, vt postremi eorum ordines, primo frontis ordini ad lineam responderent. Constabant singula ex viginti duobus ordinibus, quatuordecim armatos continentibus, & in longitudinem fronti aciei vtrinque præpositis. Dextrum cornu trecentos & octo sclopetarios minores, sinistrum totidem maiores obtinebat. Tota viginti cohortium acies, bis mille centum triginta septem ciues egregiè armatos spectandos exhibebat. Magnam ex hoc spectaculo Princeps capiebat voluptatem, & equo conscenso gratum sibi esse hoc officium, collaudata ciuium opera, & nutu, & verbis declarauit. Nec milite præsidiario ciuitatem illam indigere perspexit, quæ ciues haberet tam frequentes, armatæ militiæ non imperitos, quorum fidei tutam custodiam fortunarum propriarum, & Regiæ Maiestatis securitatem posset committere; Neque enim minorem fortitudinem, aut animorum viriumque consensum ab iisdem exspectabat, quàm cùm equestres & pedestres Gallorum copias sub Francisco Valesio Andium Duce ciuitatem inuadentes, eiicerent, profligarent, ac mille quingentos dimidiata hora cæderent, multos caperent, ciuibus tantùm octoginta desideratis.

Conspecto statim Archiduce magna omnium fuit alacritas, illoque nonnihil prætervecto, displosis maioribus & minoribus sclopis, aduentum sonitu gratulabantur, & circumducto agmine per Tiburtium Coradinum, cui vigilum præfectura à Duce Parmensi inclytæ memoriæ, extra ordinem fuit delata, sex vrbis collegia septeno ordine incedentia subsequuntur.

Processerat etiam obuiam eius Celsitudini ciuitatis Scultetus noto Germanis vocabulo sic dictus, tanquam culpæ vel pœnæ pro noxis exactor, siue regius officiarius quem Marchionem quoque nominant, Henricus Tseraerts domi nobilis, rerumque foris gestarum laudibus haud obscurus, qui præter summam rerum capitalium & criminalium potestatem, quâ Principem refert, (quemadmodum in causis ciuilibus Ammannus) omniumque rerum, ad ius eius & maiestatem conseruandam attinentium auctoritatẽ, Præfecturæ quoque maritimæ à Mansfeldiæ comite Carolo vicarius constitutus est. Is bonam classiariorum suorum cohortem armis instructam secum eduxerat, vt totus armatorum numerus qui obuiam exierant, ad quatuor lectissimorum peditum millia proximè accederet.

Hoc ciuium comitatu à tergo sequente, Archidux vrbem decimo octauo Kal. Iulias, omnium votis exspectatus, sereno cælo ingressus est, vt vel ipsa auræ temperies, quæ præcedentibus aliquot diebus pluuiis continuis fuerat molestior, quin etiam ipso aduentus die ante meridiem parum firma, discussis ex templo nubibus ingressui eius aspirare, & velut blandiri videretur; quæ repentina aëris clementia in lætum publicæ tranquillitatis omen abiit.

Appropinquantem mœnibus Principem vniuersa tormenta arcis bellica sonitu horrendo significarunt. Eodem quoque indicio ciuibus facto per ingentis pulsum campanæ, qua nulla in Belgio, nec vsquam ferè, magnitudine vastior (octo enim pedes capit eius altitudo, septem cum semipede hiatus in diametro) nec sonitu suauior, ad locum capiendum spectaculo opportunum quisque discurrit: vt breui momento via tota triumphalis, omnes ædes, omnes fenestræ, omnia tecta confluente multitudine innumerabili, confertim stiparentur & implerentur: & quod erat admirabile, vt tot armatorum aliorumq; ciuium qui obuiam processerant, extra ciuitatem conspecta frequentia, nemo in vrbe desiderari videretur. Duodecim

decim prætereа armatorum cohortes, ex vtroque portæ, quâ ingreſſus eſt, latere, in mœnibus diſpoſitæ, ſclopis vtriuſque generis diſploſis, armorumque & veſtium cultu & nitore, haud exiguam Archiduci iucunditatem adferebant.

Porta ingreſſus eſt Cæſarea, cui Carolus V. Cæſar Auguſtus nomen impoſuit, vt ex inſcriptione liquet, quæ talis eſt:

CAROLVS V. CÆS.
HANC PORTAM PRIMVS MORTALIVM INTROGRESSVS
CÆSAREAM NVNCVPAVIT, DIE XXV. NOVEMBRIS
ANNO M. CCCCC. XLV.

Eſt autem hæc porta ſtructuræ ſolidæ, & elegantis, Hetruſci infra operis, cum ſuis faſcijs quas Ruſticas vocant, ſupra Dorici, ex viuo ſaxo, & quadrato, pedibus quinquaginta quatuor ſublimis, in pedum octoginta latitudinem protenſa. Hiatus ſeu aperturæ altitudo viginti & vno pedibus definitur, latitudo quatuordecim: profunditas tranſitus, pertingit ad ſeptuaginta quinque pedes. Hac pedis Antuerpienſis dimenſione (qui in ſe pollices vndecim recipit, paſſus autem quinque pedes) tam in noſtra deſcriptione, quàm in figurarũ declaratione paſſim vtemur. In quibus ſi quis fortè admoto, vt fit, circino, à noſtris quædam ſcriptis diſſidere deprehendet, is paucis mihi verbis videtur præmonendus, ne iudicio me arceſſat, aut erroris inſimulet, interualla & magnitudines, quales illæ fuerunt ſecutum deſcribendo: & ne cauſam hanc ſuſtineat pictoris ignorantia, qui prima lineamenta duxit, vel inſcitia cælatoris qui icones in æs incidit. Cùm enim quaſdam imagines animaduerterent artifices tam inæquabili ſymmetria à reliquis diſtinctas, vt ſi fingerentur, & in lucem ederentur ſeruatâ ex præſcripto vbiq; pedum normâ, delicatis hominum curioſorum oculis non vtique ſatisfacerent, depreſſiores icunculæ vix ſemiplenis tabulis ſpatium vacuum relinquerent, latiores excurrerent, excederent altiores: Quaſdam igitur deprimendo, aliquas coarctando, nonnullas attollendo, illam inconcinnitatem ad æqualem commenſus proportionem redegerunt, & ceu Leſbiam, cuius meminit in Ethicis Ariſtoteles, regulam adhibuerunt, quæ ad formam lapidis magnitudinemque tranſmouetur & flectitur, ita vt ſpacij dimenſio ipſam normam conſtituat, non autem ad regulam aptetur ſuperficies.

Portæ reliquam ſpectatæ proportionis rationem, & molis ornatum figura eius adiecta deſignat.

In eiuſdem portæ ſumma coronice recenter eſt poſita, tredecim pedum, præter baſim quinque pedum, ingens ſtatua, habitu antiquo, & militari ſago cum paludamento, fortiſſimum heroem Brabonem referens, qui cæſo Antigono giganteæ ſtaturæ tyranno, abſciſſaque illi manu talionis ſupplicio, quo ille in viatores graue vectigal ſoluere detrectantes ſæuire ſolitus eſſe dicitur, patriam tyrannide liberaſſe, & nomen Hantuerpiæ dediſſe fertur: Etiamſi verò non me præterit hanc narrationem quorundam argumentis vel potiùs coniecturis, quarum fidem à ſeipſis vt argumenta petunt, refelli & explodi; nos tamen in Coloſſo Antuerpienſi deſcribendo ab eius hiſtoria deflectere non potuimus, quam ſi minus aliis nationibus probabimus, quòd ſcripta nobis deſit auctoritas, ſolis Antuerpienſibus conſtare ſufficiat, ad patriæ ſuæ antiquitatem commendandam, quæ publicâ famâ à maioribus tradita, vetuſtatis quibuſdam retentis veſtigiis, ad noſtram vſque ætatem peruenit. Quoniam autem, auctore Thucydide, coniecturis, & teſte Liuio, famæ rerum in hiſtoria ſtandum eſt, cùm nihil certi habeamus propter æui longitudinem, vel cùm fidem vetuſtas derogat, & quia ſine vlla examinatione aliorum relata in rebus etiam domeſticis admittimus, non magis æquum eſt, difficilem rei geſtæ inueſtigationem ab Antuerpienſibus moroſè exigere, quàm incertas, & obſcuras aliarum gentium origines admirari. Neque enim minus credibile eſt, quod de Brabone ſuo Brabanti, & Antuerpienſes dictitant, quàm quod de Romulo ſuo Romani, de Theſeo iactant Athenienſes. Quòd ſi mihi de manibus, Antuerpiæ inſignibus, diuinare liceret, non video commodiorem neque veriſimiliorẽ huius ſymboli originem, quàm à perantiqua Romanorum militia, qui inter cetera ſigna militaria, manuum etiam ſimulacra retulerant, ad fidem aut concordiam exercitus denotandam; vt ex nummo M. Antonij apparet, in quo labarum in medio, duo vtrobique ſigna viſuntur, quæ manum

in faſtigio

in fastigio singula habent informatam; cum his literis: Concordia exercitus: sicut & in aliis veterum numismatibus huiusmodi signa militaria adhuc exstant. Decreuerant itidem Commissarij simulacra Virtutis & Honoris ex S. C. vtrinque apponere, antiquo ritu effingenda, quod temporis angustiâ exclusi distulerunt. Ipsius etiam Brabonis basi has notas literarum insculpere statuerunt, ad posteritatis memoriam sempiternam.

BRABONI INVICTO, OB VINDICATAM TALIONE TYRANNIDEM,
S. P. Q. A.

HIc ego à quibusdam vel præposterè religiosis, vel imperitis antiquitatis veniã deprecarer, qui S. P. Q. A. aut similes notas reprehendunt, & nulli nisi libero populo conuenire illas existimant, non autem Reip. sub principatu constitutæ, nisi me antiquæ marmorum scripturæ, aliæque auctoritates sustentarent. Nõ enim Romani rerum domini, qui nec pares, nec æmulos ferebant, tales inscriptiones in municipiis tolerassent, si populi Romani maiestatem per illas minui credidissent. Sic autem in variis marmoribus reperimus S. P. Q. Tiburs, Lanuuinus, Nolanus, Ceres, Signinus, Saguntinus, & aliorum municipiorum. Nec ipsum etiam populum Romanum, sub Imperatorum principatu, aliis notis vsum legimus. Pro cuius scripturæ defensione plura adferre argumenta non opus est, cùm sufficiat illam multarum gentium imitatione, & plurimarum ciuitatum Belgicarum vsu & consuetudine, omnium denique Principum nostrorum permissione & præsentia fuisse comprobatam. Iisdem terminis & angustiis Reipub. nomen, quo sæpe in hoc opusculo vtimur, à quibusdam circumscribitur, qui si antiquas inscriptiones inspiciant, sexcenta municipia Reip. nomine expressa deprehendent, tam antiquis Reip. Romanæ, quàm longa serie Imperatorum temporibus. Infinita fidem marmora faciunt, in quibus exstant, Resp. Aquensis, Asculana, Atesinorum, Barcinonensis, Bergomatium, Comensium, Mantuanorum, Nepesinorum, Pisaurensis, Nolanorum, Tusculanorum, & in Codice fit mentio Heliopolitanorum, Thessalonicensium, & ciuitatis Comanensium Reipub. quas tametsi minus propriè respublicas dici, scribat Bodinus rerum politicarum vir peritissimus, nos tamen eodem sensu Reipub. vocabulo vti non verebimur, quo Cicero Arpinatium municipij Remp. Lib. ad Famil. XIII. M. Bruto commendauit. vel eâdem sententia, quâ de iure Reip. & de rerum publicarum administratione tituli exstant in Codice, legesque repeinuntur de solo, fundis, locis & procuratoribus Reip. & de ijs qui eius nomine agunt: quibus legibus non modò Remp. Romanam vti voluerunt legislatores principes, sed ab omnibus ciuitatibus opidisq; obseruantur, quæ ius scriptum receperunt; neque quisquam negauerit quin legatus municipij, abesse Reip. causa dicatur; quin imò suam municipiis Remp. constituit Bartolus Codice de iure fisci, & de iure Reip. in Rubric. vt & glossa L. procuratores. Cod. de decurionibus; & in Authent. de hæred. & Falcid. in princ. & Baldus in proëm. ff. const. omnem, numero 5. annotauit, quòd inter ceteros modos Respublica accipitur pro quacunque ciuitate. Aut hac saltem significatione Reipub. vocabulo vti nobis liceat, quâ apibus Plato, Physicique scriptores suam tribuunt Rempublicam, Aristoteles etiam gruibus & formicis assignauit. Sed Reip. Antuerpiensis apparatum, sicut incepimus, prosequamur.

In Zophoro autem portæ Cæsareæ supra descriptæ, duos triglyphos & tres ferè metopas abscondebant depicta Archiducis Ernesti insignia, vsque ad cuneos fornicis dependentia. Intercolumnia sub epistylio coronamentis hederaceis, lana & bractea circumligatis ornabantur. Sic triumphales corollas appellamus, quæ à Vitruuio encarpa vocari Philander annotauit, seu florum frondiumque, & pomorum implexus atque contextus, coronario luxu foliis, flores & fructus intercursantibus; Itali festones à festiuitate appellant. Tametsi Turnebus ornamenta capituli columnarũ encarpa esse putet. Sunt qui coronas longas vocent, quibus sepulcra, sellas, curules, & triumphales currus ornare consueuerunt, quarum in legibus XII. tabularum, & apud Ciceronem lib. II. de legibus mentio est. Originem à Græcis habere

habere existimo hæc stemmata lemniscata, apud quos εἰρεσιώνη ramus erat oleaginus lana obuolutus, quem circumpendentibus arborum fructibus ante ianuas ædium suspendere solebant, ad famem arcendam ex oraculi præcepto; Plutar. Theseo, Aristophanes in Pluto & in Equitibus, & ibi Scholiastes, & ex eo Suidas. Quo nomine etiam εἰρεσιώνης carmen exstat in Samo ostiatim ab Homero decantatum in eius vita apud Herodotum. Pendebant verò hęc coronamenta, sericis lemniscis candidi, & rubri coloris alligata, qui augustissimæ domui Austriacæ, & huic ciuitati gentilitius est. columnarum interuallo erant affixę duæ quadratæ vtrinque tabulæ, sequentibus verbis inscribendis idoneæ:

QVOD BONVM, FELIX, FAVSTVMQVE SIT VNIVERSO ORBI CHRISTIANO, ET DIVO PHILIPPO II. CATHOLICO HISPANIARVM INDIARVMQVE REGI, MONARCHÆ POTENTISSIMO, DVCI BRABANTIÆ, ET S. R. IMPERII MARCHIONI, PRINCIPI NOSTRO CLEMENTISS. EIVSQVE PROVINCIIS HÆREDITARIIS BELGICIS,

S. P. Q. A.

ERNESTO CÆSARIS FILIO, ET FRATRI SERENISSIMO, ARCHIDVCI AVSTRIÆ, GERMANIÆ INFERIORIS ADMINISTRATIONI A REGIA MAIESTATE PRÆFECTO, OMNIVM VOTIS EXOPTATO, FELICISSIMVM IN HAC VRBE ADVENTVM GRATVLATVR.


Alterà tabula horum versuum capax erat:

Maxime, Cæsaream fausto, Dux, omine portam
Ingrederis, qui Cæsarea de gente, Philippo
Huc auctore venis, bis ternis Belgica lustris
Vt depressa graui bellorum mole resurgat
Auspicijs, Erneste, tuis, & vindice priscum
Austriaco decus obtineat, qui pace, vel armis
Belgica Pannonijs adiunget bella triumphis.
Et quisquam votis aliud queat addere nostris?

Supra portam tibicines consistebant, & buccinatores publico ciuitatis ministerio addicti, qui Principem transeuntem musica symphonia perquam suauiter consalutabant.

DESCRI-





SCHEMA PORTAE CAESAREAE.

DESCRIPTIO CVRRVS TRIVMPHALIS PVBLICI.

HINC Archidux vrbem auſpicatò ingreſſus, porta Cæſarea à tergo relicta, primo proſpectu currum triumphalem obuium habuit, in cuius ſolio deaurato venuſtiſſima, & cultiſſima ſedebat puella, ciuitatem Antuerpiam virginali habitu præ ſe ferens. Candida erat ſuperior veſtis, pauloque breuior inferiori, quæ coloris erat rubri, vtraque ſerica, & limbis aureis prætextata. Manu tenebat coronam lauream, ſericis vittis ex iiſdem coloribus colligatam, quam venienti eius Celſitudini verecundè aſſurgens porrigebat. A dextra eidem aſſidebant, à ſummo ſolio gradatim deſcendendo, tres elegantis formæ nymphæ; Religio ſcilicet candido virginis Veſtalis amictu, auream manu crucem tenens. Poſt hanc Obedientia, iugum argenteum penes ſe habens. Quam ſequebatur Reuerentia, tecta velo byſſino facie, quod Principe veniente vtraque manu compoſitè ſubduxit, & facie detecta reuerenter eundem ſalutauit.

A ſiniſtra, ſimili ordine aſſidebant, primo à ſummo gradu Fidelitas, in candido amictu clypeum tenens, cum candida catella in eo depicta.

Secundo ſedebat Beneuolentia, non inuenuſto vultu puella, quæ ſuper haſtili oblongo argenteo, cor humanum Laurea cinctum corona geſtabat, quod geminæ dextræ in fidei ſymbolum complexæ tenebant.

Tertium gradum occupabat, gratiſſimo vt reliquæ aſpectu virgo, cui nomen erat, Beneficij recordatio, quæ ſcutum tenebat orbiculare, in quo depictus agnoſcebatur Androdus ille ſeruus Dacus, Numidico leoni porrigenti pedem ſanguinolentum ſpinam eximens.

In anteriori currus parte duo virili forma ſtabant Dij Penates Laureati, & antiquo more tunica veſtiti manicata, hac tamen colorum viciſſitudine, vt qui à dextra conſiſtebat, tunicam haberet ex ſerico candido, manicis, cingulo & tibialibus ex rubro; qui à ſiniſtra, è tunica rubra, brachia & crura albata exſereret. Nec verò ſilentio prætereunda ſunt prædictarum nympharum ſplendidiſſima veſtimenta; omnia enim ex ſerico erant verſicolore, & perfectiſſimo. Penates autem ſuper haſta geſtabant Deorum Penatium in ſerto laureo, ex antiquis nummis effigies, cum hirundine ibidem appoſita, quòd eam auem Penatibus eſſe caram ex Æliano quidam notent. In ſummo haſtili arx argentea erat informata, quæ huius ciuitatis ſunt inſignia. Tabulam habebant ante pedes oblongã, in qua hi verſus legebantur:

Mœſta diu latui patrijs Antuerpia muris:
Ingredior nunc læta, nouos actura triumphos
Auſpicijs, Erneſte, tuis: te vindice priſcum
Clementi ſub Rege decus, ſplendórque redibit,
Vbertáſque meos cumulabit priſca Penates.

Stabat hic currus triumphalis ad D. Georgij cœmeterium, ante ædes ex obliquo collegij Dimicatorum publicas, facie ad portam Cæſaream conuerſa, latere ſiniſtro nonnihil detorto ad proſpectum triumphalis portæ Hiſpanorum, in via Hoſpitalaria (ſic dicta à publico noſocomio) prope monaſterium virginum Tertiariarum, quam molem Princeps deflexo equo à curru triumphali, ſtatim in conſpectu habuit.





SCHEMA CVRRVS TRIVMPHALIS.

DESCRIPTIO ARCVS SIVE PORTÆ TRIVMPHALIS HISPANORVM.



RAT hæc porta tam ſua ſtructura, quàm picturis, & ornatu ſtatuarum valdè magnifica, ex architectonica diſpoſitione, infra Dorica, ſuprà Ionica, tranſitusque triplicis amœnitate perelegans opus; ad rectæ viæ Hoſpitalariæ, & tranſuerſę quæ dicitur Arenbergia commoditatem conſtitutum.

Tota altitudo cum inſignibus, & ſtatuis, ad pedes ſexaginta quinque pertingebat, latitudini quadraginta pedes aſſignabantur. Tranſitus pedibus triginta finiebatur: patebat verò pedibus quindecim. Porta ad pedes viginti ſeptem attollebatur. Frons anterior marmore verſicolore illuſtrata, binis ex vtroq; portæ latere columnis nitebatur, quarum ſcapi exactè depicti ad lapidis cœrulei, quem lazuli vulgò vocāt, imitationem, aureis venis intercurrentibus, cum plinthis, toris & capitulis deauratis, magnam aſpectui iucunditatem dabant. Intercolumnium dextri lateris Ferdinandi regis Hiſpaniarum præſtantiſſimi depictam effigiem humanâ ſtaturâ maiorem continebat, cum hac ſub pedibus inſcriptione:

Auſpicijs inuenta tuis noua, Ferdinande,
Terra, tuum memori nomen grata imprimet æuo.

Infra autem in ſtereobate vel potius interſtylobatio, cōſpiciebatur vmbratili pictus monochromate Imperator, Hiſpaniæ genu ſiniſtro innixæ, & ramum oleæ prætendenti manum porrigens, cum cuniculo ante pedes, quod eius animalis genere, teſte Plinio & Æliano abundet Hiſpania. Sumptum verò eſt hoc emblema ex nummo Hadriani Imper. Hiſpanię reſtitutori conueniens, qualis reuera Ferdinandus fuit. Ab eius latere in ſiniſtro intercolumnio ſimili magnitudine paſcebat oculos ſpectatorum Regina Iſabella, omni laudum genere ornatiſſima, cum hoc diſticho infra eius pedes deſcripto:

Nec te celſa ſilent hoc æuo, Iſabella, nepotes,
Te pietas iubet æternum ſupereſſe, pudórque.

In ſtereobate ex ſimili monochromate videbatur templum pietatis, lituum manu tenentis, ex veteri nummo pro emblemate ad pietatem Iſabellæ relatum.

Supra portam podio infraſcripto affixa pēdebat tabula, & aureis literis in eâdē exaratum:

OPT. INVICTISSIMOQVE PRINCIPI ERNESTO AVSTRIACO
DESIDERATISSIMVM ADVENTVM GRATVLANTES HISPANI POSS.

Sub hac inſcriptione, Archiducis hærebant inſignia, ornata encarpis, ſeu ſertis vtrinque arcuatim dependentibus. In medio ſecundæ eleuationis inter duas columnas Ionicas, vaſtum erat hemicycli forma tabernaculum, cum Meniani operis podio, mutulis ſuis, vt par eſt, ſuffulto. Spectabatur in eo, tanquam in ſolio, procera decem pedibus ſedentis reginę ſtatua, quæ cum ſceptro & diademate, amictu & ornatu ſplendidiſſimo, Hiſpaniam referebat. Eius latera vtrobiq; claudebant ad extremam coronicis partem duo Coloſſeæ molis ſigna deaurata, duodecim pedum altitudinem exæquantia, quæ latè radiantis auri fulgore, opulentiam gentis & magnificentiam oſtentabant. Vtrique tridens argenteus in manibus; ſub pedibus ex eodem metallo delphinus cauda reflexa partem tegebat nuditatis, quæ publico aſpectui fuiſſet indecora. Hoc Oceano attribuebatur, illud maris mediterranei Deo, per aſſcriptum ſingulis dialogiſmum; hunc priori,


Cui regum Oceani debentur ſceptra? Philippo.

Illum alteri,

Aequoris & reliqui cui iura tridentis? eidem.

In ſummo faſtigio alatæ victoriæ manibus vtrinque apprehendebant Regis Catholici Principis noſtri clementiſſimi inſignia. Ab vtroque faſtigij angulo labarum coccinei coloris haſtili affixum volitabat, in dextro Diuæ Virginis genitricis, Hiſpanię tutelaris, veneranda effigies, in ſiniſtro regia inſignia continebantur.

Hæc autem ſunt omnia quæ in fronte anteriori fuerunt obſeruanda.



FORMA PORTAE TRIVMPHALIS HISPANORVM.

SCHEMA ADVERSÆ FACIEI PORTÆ HISPANORVM.

N ADVERSA verò facie, pari cum prioribus numero, magnitudine & artificio columnæ attollebantur; ad marmoris Numidici ſimilitudinem, cum plinthis, toris, & capitulis inauratis. Dextri lateris intercolumnium, Herculem populo ſpectandum proponebat, monochromate coloris æneι depictum, & geminas brachiis humeriſque columnas magno conatu aſportantem. Ea nimirum de cauſa, quòd inter primos Hiſpaniæ reges Libyum quendam Herculem hiſtorici numerent, ſiue quòd ad columnas Herculis Hiſpaniæ propinquas referatur inuentio, cum qua concordat hoc diſtichon ſub eius pedibus annotatum:

Amphitryoniade, ter magno cede Philippo,
Tu veteri, ille nouo defixit in orbe columnas.

Stereobaten Honoris & Virtutis notiſſimum antiquitatis ſtudioſis emblema, inſigniuerat, congruo Herculeæ fortitudini argumento.

In alterius lateris columnarum interuallo, Mars æneo colore depictus erat, galea, ſago, clypeo & ſtricto gladio cuiuis notiſſimus, ſubſcriptumque illi erat:

Præſens Auſonijs olim Gradiuus in oris
Numen, ad Heſperios flectit meliora ſecutus.

In ſtereobate ex nummo Conſtantini emblema Imperatoris exhibebatur, labarum dextra cum hoc decuſſatæ crucis ſigno ☧ tenentis, cuius capiti Victoria alata lauream imponit, ipſa palmam læua gerens.

Medio portæ Zophoro appendebant Archiducis Erneſti inſignia.

In ſecunda ſimiliter eleuatione ſuper coronice in tabernaculo ſedebat Hiſpania, reginæ habitu coloribus inductis coronata & exculta, cui ſuberat in tabula quadrata penicillo deſcriptum hoc carmen chronographicum:

SaLVe, dVX anIMI præſtans, CVI dIVIte CornV
AffVndVnt ſVa VIrtVtes præLVſtrIa dona:
AſpICe fronte hILarI, terra, ô optate, poLoqVe,
Gens HIſpana tVo DIgnè qVa ponIt honorI.

Super extrema coronicis parte Fidelitatis ſtabat ſimulacrum, geminas manus dextra tenens, cor humanum circumplexas, eiusque pedibus candida catella tanquam blandiens aſſiliebat, eratque in Zophoro ſic ei ſubſcriptum:

In regem ſincera fides genti vtilis omni.

Cui ex altera parte reſpondebat hoc ſcriptum:

Infidos nam pœna manet, ſed præmia fidos.

Quod referebatur ad virginis effigiem, gladium dextra, coronam tenentis læua, hunc pœnæ, illam præmij ſymbolum, Philippo Regi quondam proprium. In ſummo faſtigio duo leones deaurati, inſignia Regis vnguibus tenebant. Ex vtraque parte è ſerico coccineo labarum prominebat, in dextro diuus Iacobus eques Hiſpaniæ Apoſtolus, & protector, in altero regia itidem inſignia ex auro erant delineata.



SCHEMA FRONTIS ADVERSAE PORTAE HISP.

SCHEMA TERTIÆ FRONTIS PORTÆ HISPANORVM.



IN TERTIA portæ triumphalis fronte, quæ ad medium eius transitũ ab Oriente accessum aperit, picturæ similiter cernebantur insignes. Nam etsi columnis non erat substructa, in planis tamen eius lateribus loculamenta suis vmbris distincta, & effigies in iisdẽ pictor ediderat: In dextro scilicet latere, Nobilitatis imaginem, cum ense, hasta, & casside: Palladis esset figuratio, si ægida haberet, sed eius loco clypeum tenebat, & in eo pictas quadrigas triumphales, cum hac inscriptione:

Nobilitate potens, & belli clara triumphis
Austriacæ tollit cælo se gloria gentis.

In latere sinistro nudus Vulcanus, armorum fabricator, spectatores oblectabat, qui in sua fabrili officina malleo immanibus brachiis sublato, ferri massam forcipe prehensam procudebat; non incommoda certè ratione, siue Martem Hispanicum quem supra descripsimus, cui arma cõueniunt, seu ferri in Hispania fertilitatem, præstantiamq; respiciamus; in quam sententiam non inconcinnè ad eundem Vulcanum asscripta erat hæc apostrophe:

Arma acri facienda viro, da Mulciber ignes,
Hesperiisq; fluant excocta metalla caminis.

In Zophoro supra portam Sol oriens cum suis quadrigis depictus erat, & ibidem asscriptum hoc elogium ænigmaticum:

IAM ILLVSTRABIT OMNIA.

In fastigio Victoria alata dextra lauream, palmam læua stringens, frontis huius altitudinem ad XLVIII. pedes educebat:

Adeò autem circumspectè procurata erant omnia, vt nec quartum portæ latus, ad Occidentem spectans, relicto inter vicinas ædes, & ipsam molem exiguo spacio, ornatu suo omnino caruerit. Sedebat ibi fluuius Bœtis sub arbore citria, inter duas vtrinque vrnas aquam emittentes, & ibidem sic legebatur:

Ostia Getulos pandit sua Bœtis ad Austros,
Hic videt Austriacos læta quoque mente triumphos.

Interior quoq; portæ ornatus nõ minoris erat momenti. In medio lacunari diuûm pater cum fulmine & aquila Iupiter sedebat. Versùs meridiem nuda Tethys Oceani vxor currui equũ marinum iunxerat, duabus Sirenibus hinc inde alludentibus. Ad Septentrionẽ in eodem lacunari spectatæ formæ nuda nympha, ingenti conchæ striatæ insistebat, Galathæam lacteo candore repræsentãs, ad maris mediterranei declarationem, cum Tritonibus vtrinq; adnatantibus. In latere transitus versus Occidentem, tres erant magnæ quadratæ tabulæ, quarum media spectantium oculis obiiciebat equestrem Romani Imperatoris effigiem, cum spoliis Barbarorum supra caput in trophæum congestis. Dextra tabula historiam exhibebat, quam eius inscriptio explanabat:

FERDINANDI GONDISALVI CASTELLÆ COMITIS IN ALHABIGVM ALMANSOREM CORDVBÆ REGEM VICTORIA, PETRO HITERO TERRÆ VORAGINE ABSVMPTO, DVM TRANSFVGIVM MEDITATVR: ANNO IXc. LII.

Tabula sinistra spectandam dabat suam historiam his verbis asscriptis significatam:

QVINQVENNIO POST IDEM FERDINANDVS ALMANSOREM MAVRVM CVM EXERCITV FVNDIT, FVGATQVE, OPITVLANTE DIVINO NVMINE, ANNO IXc. LVII.


In portæ latere interiori è regione tertiæ frontis, duo paludati Imperatores cum Romana panoplia ad suam spectabant singuli victoriam; priorem hæc verba indicabant:

CALATRAVA CAPTA ALPHONSVS CASTELLÆ REX MIRAMOMELINO AFRO OCCVRRIT. ANNO M. CC. XII. MENSE IVNIO.

Altera sic intelligebatur:

MIRAMOMELINVS AD INTERNECIONEM TOTO CVM EXERCITV DELETVR. C. MILLIBVS MAVRORVM CÆSIS XVII. KAL. AVG. M. CC. XII.

Nec deerat lacunari eiusdem transitus quod spectatores detineret: pulcherrima enim Amorum mater, conchæ Veneriæ decorè insidens, oculis lepidè blandiebatur, prænatabat Triton, Cupido delphino colludens adnatabat. Supra lacunar tibicines dispositi Principem venientem tibiarum concentu periucundo excipiunt.



SCHEMA III. FRONTIS PORTAE HISPANOR.

PEGMA PVBLICVM AD TRIANGVLVM.

PORTAM triumphalem Hiſpanorum tranſeuntibus continuò ſe obtulit Pegma publicum, ad Triuium, quod & Triangulum vocant, à S. P. Q. A. poſitum, altum pedibus triginta duobus, latum triginta, cum nouem pedum profunditate. Agricultura erat ſcenæ argumentum, in qua maxima ſita ſunt, & pręcipua Reip. præſidia. Columnarum loco duo vtriuſque ſexus Termini ſiue Hermæ duodecim pedibus alti, Zophorum tribus pedibus latum, Cariatidum more ſuſtentabant. Terminos dixi recepto & vſitato recentioribus Architectis vocabulo, quod Termini quos pro Diis habuit antiquitas ita fingerentur, ſuperiori ſcilicet corporis parte formam humanam referente, inferiori in cippum quadratum ab vmbilico deſinente. Rectius tamen Hermas dici tam ſcriptorum grauiſſimorum, quam ipſius Ciceronis teſtimonio comprobatur. Græci enim ἑρμᾶς non ſolùm Mercurio, ſed aliis etiam Diis, viriſque illuſtribus, forma quadrata ſtatuas ponebant, præcipuè Athenienſes in ædibus ſacris, & priuatis veſtibulis, vt Plutarchus & Æmylius Probus Alcibiade, & Thucydides auctor eſt: cuius Scholiaſtes hanc reddit rationem: Quia Mercurius Eloquentiæ & Veritatis præſes eſt, ſimulacra eius cubicâ figurâ, ſeu quadrangulâ conficiebant, quòd illa forma in quamcunque partem cadat, ſtabilis & erecta ſit: ſic etiam Veritas & Eloquentia vndique ſibi ſemper conſtant. Et ſimili tranſlatione apud Platonem in Protagora Simonides, & Ariſtoteles Ethicorum Nicomacheorum libro primo virum conſtantem & propoſiti tenacem appellarunt τετράγωνον ſiue quadratum: eaque de cauſa Philoſophis, aliiſque eruditis & fortibus viris ἑρμαὶ in Græcia paſſim erectæ. Ceterùm meminit ἀκώλων ἑρμῶν in Atticis Pauſanias, & quadrangulos Mercurios Athenis coli ſolitos idem in Meſſenicis, & Phocicis tradit. Teſte etiam Macrobio pleraque Mercurij ſimulacra ſtatu quadrato figurabantur ſolo capite inſignita, vt etiam ex Epigram. Xenocratis liquet lib. quarto Antholog. Sed eiuſdem figuræ Hermas Ammonis, & Apollonis Pauſan. deſcribit in Arcadicis, ſimileſque antiquorum quadratæ formæ Hermæ ad noſtram vſque ætatem peruenerunt, vt in illo libro videre eſt, quem Fuluius Vrſinus Romæ edidit, Imaginum & Elogiorum virorum illuſtrium & eruditorum, ex antiquis lapidibus & numiſmatibus expreſſorum, quemadmodum eodem argumento Achilles Statius ibidem nobis curauit excudendos illuſtrium virorum, vt in vrbe exſtant, vultus, Hermarum forma figuratos. Truncos autem & mutilos fuiſſe etiam ex Iuuenale conſtat Satyr. 8. *Nil niſi Cecropides truncóque ſimillimus Hermæ.* Talibus igitur ſiue Hermis ſiue Terminis pegmata conſtruere hoc ſeculo paſſim in vſu eſt. Super coronice prædicti pegmatis, viri feminæque ſilueſtris imagines è tabula exciſæ & depictæ, altera manu Brabantiæ inſignia, altera verò funale tenebant. In extrema coronicis proiectura, Sacri Imperij Marchionatus, & huius ciuitatis inſignia, alati vtrinq; Cupidines exhibebant, cum funali ſingulis appoſito. In medio Zophoro è tabula quadrata ſcenæ argumentum hoc modo legebatur:

PIO ET INVICTO PRINCIPI, ERNESTO AVSTRIO, QVI AGRVM BELGICVM SOLI FERTILITATE, ET SITVS AMOENITATE CELEBERRIMVM, AB OMNI DIREPTIONE, ET VASTITATE D. PHILIPPI CATHOLICI PRINCIPIS NOSTRI CLEMENTISSIMI NVTV VINDICATVRVS, ET PACATVRVS, AB EXTREMIS VSQVE PANNONIIS AD NOS VENIT,

S. P. Q. A. P. C.

Termini penſilibus inſcriptionibus lectores admonebant, quænam perſonæ in ſcena ſederent:

Erneſtus ſolitos iubet inſtaurare labores.
Agricolæ, conferte manus poſcentibus aruis:
Non ciues furor hoſtilis, nec militis horror
Infeſti, pauidos arcebit rure colonos,
Dira ſed externas terrebunt claſsica gentes.

Alteri.

Alteri, hi versus Elegiaci appendebant:

Aureus Ernesto veniente renascitur orbis,
Cur ita? conueniens nomen, & omen habet.
Austria gens illi Diuûm genus, aurea dico,
Splendida mens, virtus aurea, pura fides.
Austriacis armis, auróque, aut fœdere, pacis
Austriacæ nobis aureus auctor erit.

In spatio tabularum à proscenio ad terram vsque, quod pedibus septenis terminabatur, non inscitè depicta erant varia rustica armamenta, cum frugibus, & cranio bouis laboris symbolo. In vtroque stylobate Cupidines, hic, tellurem ligone fodiebat; ille, effusa per clepsydram aqua, fruticem rigabat. Pendebant è scenæ epistylio concinnè complexa ex virenti hedera, serta siue encarpa, cum bractea crepitante, & albis rubrísque ex serico fasciolis. Scenæ porrò drama ex sequētibus constabat personis, ornatissimè, & opulētissimè excultis.

In medio sedebat, editiori ab aliis loco, spectatæ formæ virgo, habitu & amictu elegantissimo, cū aureo penes se aratro, vt eam esse Agriculturam quilibet conijceret. Ab eius dextra sedebat Natura, brachiis nudis & mamillis perquàm venustè compta puella. Ceres eidem assidebat, falcem messoriam in manu habens, capite spicis coronato.

Pales cum pedo, & bidente, pro dea pastorum se gerebat. Pomona calathum fructibus omnigenis refertum habebat. Napea quasillum flosculis lectissimis copiosè confertum, capite floribus exornato, tenebat; apum alueare à latere astabat; quæ nymphæ dextrum scenæ locum occupabant. A sinistra Agriculturæ, sedebat Annus, indole & habitu scitus puer, lauro coronatus, dextra tenens magnitudinis insolitæ aureum annulum, quo annus in se recurrens notatur; læua, cornu Amaltheæ omni frugum genere plenum, vt eum in Pompa Ptolomei Philadelphi describit Athenæus. Sequebantur ordine anni partes. Ver, impuberis adolescētis forma, floribus varijs coronati, scutum orbiculare manu tenebat, & in eo tria signa Zodiaci depicta; Arietem, Taurum, Geminos.

Æstatem agebat brachiis, pedibusque nudis, forma & amictu perlepida puella, maturis aristis coronata, scutum tenens cum suis signis, quæ sunt, Cancer, Leo, Virgo.

Pro Autumno adolescens assidebat vuis coronatus, in scuto habens hæc signa depicta, Libram, Scorpium, Sagittarium.

Hiems, puella coronam gerebat in capite hederaceam, & in scuto, Capricornum, Aquarium, Pisces.

Stabant in scenæ extremo loco, velut apparitores, personati duo viri, Diem & Noctem significantes, ardentes faces manibus tenentes, Dies sursum suam eleuans, Nox inuertens; candida veste Dies, Nox verò fusca induebatur, eo cinctu atque habitu quo figurantur in tabula marmorea quæ Romæ exstat, inter cætera signa aut symbola, quibus rerum naturalium periti, optimi agricolæ munus expresserunt.

Omnium vestes erant sericæ, aut bombycinæ, variis coloribus, pro cuiusque personæ decoro, gratissimum præbentes intuentibus spectaculum. Aduenientem coram pegmate Archiducem, Annus his versibus salutauit:

En cui distulimus meliori digna metallo
Secula Ductor adest, faciles mortalibus anni
Currite, pacato ducentes tempora mundo
Austriaci virtute Ducis, florescite rursus
Ingenijs, telluris opum, frugumq; feraces,
Nomen & æternis Ernesti inscribite fastis.

DESCRI-



SCHEMA PEGMATIS AD TRIANGVLVM.

DESCRIPTIO ARCVS TRIVMPHALIS LVSITANORVM.



ALIQVOT passibus ab hoc pegmate Archiduce digresso, cõspectui occurrit structuræ Ionicæ magnifica moles,à natione Lusitanica ante monasterium Carmelitarum via coriaria in triumphalem arcum erecta,operis varietate, & concinnitate elaboratissima,quæ tribus constabat eleuationibus in LVIII.pedum altitudinem excitatis. Latitudo triginta sex circiter pedes sortiebatur, transitum triginta pedibus metiebamur.

Arcus pro sua ad columnas symmetria eleuatior erat,ex duobus quadratis ad triginta pedes ascendens,vt publica spectacula quæ pompa amburbali quotannis deducuntur, suum transitum retinerent.

Ornabatur hic arcus in suis eleuationibus gradatim ascendentibus, variis vtriusq; sexus simulacris,quę etsi è tabula plana erant excisa,& coloribus adumbrata,sua tamen peripheria solidæ statuæ videbantur.

Summum gradum ipsumq; fastigium Neptuni simulacrum occupabat, nouem pedum magnitudine sublime,inter duos equos marinos,quibus inequitare erectus videbatur.Dextra,sphæram auream Astronomicam,læua,tridentem argenteum tenebat,ex humeris eius cærulea chlamys velut vẽto sublata volitabat.Sub pedibus,Lusitaniæ regni insignia, vtrinque serica candidi & viridis coloris vexilla, cum cruce rubra prominebant. Subscripta habebat Neptunus hæc verba:

TELLVRIS ÆQVORISQVE HIC POTENS.

Conuenit hoc symbolum Monarchæ maximo Regi Philippo,cuius potentiæ præter reliquas opes, & commoda cum regno Lusitaniæ acquisita, imperij maritimi, quo gens illa præ cæteris claruit,permagna profectò venit accessio.

Secunda autem à fastigio eleuatio,grandem in medio quadratamque tabulam excipiebat, cuius Zophorum gemini vtrinque maritimi Hermæ, in duplices piscium caudas crurum loco desinentes, sustentabant.

In planitie quadrati, quæ cærulei coloris erat, flauæ litterarum notæ hunc sensum indicabant:

PHILIPPO CAROLI V. CÆS. AVG. FILIO, EMANVELIS REGIS EX FILIA N. LVSITANIÆ, ALGARBIORVMQVE REGI, MAVRETANICO, ÆTHIOPICO, INDICO, ARABICO, PERSICO, IBERICO, ATLANTICO, EOI TRIVMPHATORI, GENTIVMQVE DOMITORI: QVOD ERNESTI AVSTRIACI INVICTISS. PRINCIPIS CONSILIIS, AVSPICIISQVE, MARE INTER LVSITANOS, BELGASQVE BELLO DIV CLAVSVM, APERIRE AC PACARE DECREVERIT. N. LVSITANICA. P. DD.

A dextra eiusdem eleuationis,muliebri forma Mauretania è tabula plana affabrè excisa, leoni Punico insidebat,seminuda, veste coccinea ex humero demissa, dextra hastile, læua palmæ ramum stringebat,cui subscriptus hic erat versiculus:

MAVRETANIA.

Iunximus Herculeis quod defuit ante columnis.

Respiciens ad illud Hispanicæ potentiæ incrementum, quod partum cum regno Lusitaniæ obtinet in tota Mauretaniæ ora, & in ipsa passim Africa, vbi reges Lusitani imperarũt, & præsidia sua habuerunt.

Ab altera parte,similis nudæ mulieris figura,fusco colore, noui orbis animali insidebat, quod cortice testaceo, durisque squamis, velut munimento quodam armatur, erinaceum Brasilianum quidam vocant. Primum intuenti animal est haud absimile crocodilo, quod tamen indigenis in cibo est,nec mediocris porcelli magnitudinem excedit.Brasiliam referre non modò inscriptio arguebat,sed ipse etiam ἀνθρωποφάγοι mulieris actus, quæ pedem humanum cum parte cruris à recenti truncatione sanguinolentum,mordicus attrectabat. Hi versus hoc etiam explanabant:

BRASILIA.

Mente feras æquare truces, pastisque solebam
Visceribus, sed nympha Tagi contermina ripis,
Indidit humanos hominum pro sanguine mores.

Primi enim Lusitani eam noui orbis regionem, quæ Brasilia appellatur, duce Caprali inuenerunt, illamq; à ferina immanitate ad politicæ vitę studiũ, Deique cultum traduxerunt.

Tertia eleuatio habebat in medio magnã tabulã & oblongam, quæ Ianũ bifrontem cum sua claui spectandũ dabat, cuius templũ ex aduerso sitũ Consul Romanus cũ suis lictoribus occludebat, delatũ Archiduci belli pacisq; imperiũ significans, vt ex asscriptis notis constat.

APERIT CVM VVLT, SI LIBET CLAVDIT.

In eiusdem tabulæ medio, Principis Ernesti pendebant insignia, quę sequebatur ab altera parte muliebris formæ sedentis simulacrum, quæ face radiis solaribus accensa, aceruum armorum incendebat, læua lauream cuidam imponebat, additumque elogium:

TIMIDIS QVIES, VISVS CAECIS.

Quod populis Regiæ Maiestati obsequentibus summam nunciabat trãquillitatem, cæcos verò & errore deuios adhortabatur, vt fausto sidere per aduentum Ernesti Germaniæ inferiori affulgente, oculos aperiant, & cum Rege in gratiam redeant. Ad dextram eiusdem eleuationis, immani elephanto insidebat seminuda Æthiopissa, linteo amiculo cæruleis lineis distincto, negligenter cincta, thuris ramum dextra tenebat, sinistra figuræ semicircularis stimulũ habebat, cuiusmodi instrumento ad cogendos & stimulandos Elephantos vtuntur Æthiopes. Huius autẽ animalis conspectum, post inclinatã Ro. Imperij amplitudinem, Lusitanorum beneficio orbis noster primum habuit. Inscriptio Æthiopiam esse arguebat:

ÆTHIOPIA.

Me famulam, Rex magne, tui Tartessia classis
Reddidit imperij, mea nec conuiuia spreuit
Iupiter, & nigri est coniux Aurora mariti.

A læua mulieris itidem fuscæ figura Rhinoceroti insidebat, seminuda, reliqua corporis parte parum tecta. Infantulum illa dorso gestabat, colore matri suę simillimum. Indiam esse non solùm fistulæ cinnamomi, quas dextra tenebat, aut nux Indica quam sinistra, sed ipsa quoque inscriptio enarrabat:

INDIA.

Primus odoratos Liber deuicerat Indos,
Altera palma Tago debetur, at vltima regni
Gloria Nisei titulis accessit Iberis.

Rhinocerotem sola Lusitania post collapsam Romani populi maiestatem, orbi Christiano spectandum exhibuit.

Quatuor verò prægrandibus columnis pars operis infima nitebatur, cum stereobatis, basibus, scapis, capitulis & volutarũ ornamentis, epistylijs, zophoris & coronicibus ad amussim Ionicis, nec indiligenter ab artifice instar lapidis Africani marmoratis. In earum intercapedine, hinc Rex Philippus regio diademate redimitus, & recentiori panoplia armatus, chlamyde purpurea decorè ab humeris dependente noscebatur. Inde Philippus Hispaniarum Princeps magnum orbis desiderium, omnium oculos in se conuerterat.

Nec carebant ornamentis interstylobatia, in quorum vno depictum erat velut ex antiquo numismate emblema, Victoriæ alatæ, cum laurea & palma, pede super aquilam posito, oleæ ramum vncis stringentem, cum his notis literarum:

VICTORIA PHILIPPI.

In altero, Spei simulacrum dextra ramũ oleæ tenebat, sinistra vestem nonnihil subducebat, ad veterum nummorum Hadriani, Antonini, & aliorum imitationẽ, cum hoc elogio:

SPES POP. LVSITANI.

Supra fornicem in triangulari spacio, muliebris imago ænei coloris cornu Amaltheæ sinistra tenebat, globum orbis ante pedes positum indice digito demõstrabat, fere vt in quodam Traiani numismate, cum his verbis:

PROVIDENTIA PHILIPPI.

In altero latere, similiq; colore & triangulo muliebris effigies curuaturæ arcus innitebatur, fulmen trisulcum stringens dextra, hastile sinistra, cum leone ante pedes, & inscriptione

INDVLGENTIA PHILIPPI.

Laquearc interius testudinatum in principio curuaturæ (incumbam vocant Architecti) limbo erat exornatum, quem nudæ Sirenes, & monstra marina alternatim, hæ caudis bifidis, illa simplicibus, permixtis aliquot Cupidinibus, qui in delphinibus equitabant, quadrato ambitu, monochromate repleuerant.

In medio lacunari, quod cæruleo colore & stellulis aureis cæli conuexa imitabatur, sedebat depicta magnifico habitu Iuno regina, cũ aureo sceptro, & pauone ante pedes. Quatuor angulos occupabant, veluti penicillo poëtico adumbrati, quatuor venti principales, maiori, quàm humana statura est, imagine, omnes alati, & plenis buccis aërem efflantes.

Orithyiam rapiebat Boreas, non sine quorundã spectatorũ inuidia, qui ignari antiquitatis, senem canũ, & aspectu formidabilẽ, pedibus in caudas serpẽtinas desinentibus (sic eum describit Pausanias in Eliacis) nudã roseo corpore puellã, brachiis stringere indignè ferebãt,

Auster stabat ex aduerso, forma senis, truci vultu, nimbis atris circumseptus.

Nudi adolescentis specie Eurus solem in capite gestabat.

At Zephyrus formoso aspectu adolescens, coniugem Floram amplectebatur, non inuenustæ formæ nympham: vterque floribus varij generis corollam capiti imposuerat, illa etiam veste flosculis picta sibi ipsa placebat.

In arcus transitu latus dextrum tribus magnis tabulis pictis spectatores morabatur. Vna dabat statuæ equestris Romano ritu laureatæ, & sagatæ similitudinem. Supra hanc tuba canens Fama volabat, vtrobique vrbium captarum imagines, sub pedibus spolia erant, & signa militaria Barbarorum, Zamorino Calecutij Indorum rege debellato, cum hoc hemistichio ibidem asscripto:

Gens superis inimica ruat.

Altera, nauem ob oculos ponebat bellico apparatu instructissimam, Prætoriam esse ex Lusitanorum insignibus apparebat, quales sunt illæ, quibus in Indiam ad Orientis merces nauigant; quod liquebat ex hoc versiculo:

Nec sicut Xerxes Neptuno vincla minamur.

Tertia tabula naualem, ac litoralem pugnam referebat. Nauis tabulæ, dux habitu militari gladium stringens insistebat; Goam ibidem Indiæ metropolim, duce Albuquerquio scalis milites capiebant: Pugnæ nauali congruebat hemistichium Virgilianum:

Ipsos potuit submergere ponto.

Ex latere aduerso tres erãt tabulæ pari cũ prioribus capacitate. In prima, sedebat Alphonsus Rex primus Lusitanorũ. Qui anno cIↄ.c.xxxix. Rex in castris salutatus, Vrichij planitie ad pugnam delecta, cum Ismare, qui alios quinq;. Maurorum Reges in auxilium euocarat, eo euentu depugnauit, vt eum prostrauerit, captis regibus auxiliariis, idq; numinis beneficio: Nam priusquam manus cõsereret, Seruator Christus cruci suffixus apparuisse ei dicitur: Vnde in quinque stigmatum Domini, siue vulnerum memoriam, quinque scutorum regni insignia sumpserunt originem: alij à quinque simul regibus vno prælio superatis, profecta existimant: quod versus Maronis videbatur indicare:

Imperio premit, & vinclis, & carcere frenat.

In altera tabula, nauis oneraria seu præsidiaria, ad præcedentis similitudinem delineata cernebatur: cui asscriptum erat in solertiæ naualis, quâ excellunt Lusitani cõmendationem:


Vela damus, vastúmque caua trabe currimus æquor.

Tertia tabula continebat seminudi Turcæ, oculis vultuq; terribili imaginẽ, anchoræ insistentẽ, aliisq; nauticis armamentis. Captiuũ esse, seruiles catenæ, & vncus in collo ferre⁹ docebãt. Pugnabatur acerrimè è triremibus, aliisq; nauigiis, quorũ aliqua incendio cõflagrabant. Exprimebat autẽ Hali Turcicæ classis præfecti, cũ triremibus LXIIII. à Vasco prætore prope Dium victi veram historiam: cum huiusmodi ex Virgilianis carminibus scriptura:

Scuta virûm, galeásque, & fortia corpora in vndas
Voluit.

Quæ quidẽ omnia ad præclaras Lusitanorũ victorias, terra mariq; partas, de Indis, Turcis, Persis, Arabib⁹, aliisq. barbaris nationib⁹ deletis, victis, captis aut fugatis sunt referenda.

SCHEMA-



ARCVS LVSITANORVM.

SCHEMATIS POSTERIORIS IN LVSITANORVM ARCV DESCRIPTIO.



ORRO in altera arcus fronte, quæ ſpectabat Septentrionem, ex eadem architecturæ diſpoſitione, latitudine & altitudine, qua conſtabat frons anterior, duo ex cœtu marino Dij ſummo faſtigio inſidebant, dextraque bidentem, læua tenebant Luſitaniæ inſignia. Sub iiſdem, Zophorum muliebres figuræ in piſcem infra deſinentes fulciebant: vbi deſcripta rubris literis legebantur hæc verba:

ERNESTO AVST. ARCHIDVCI, PRINCIPI VIRTVTE FORTISSIMO, PIETATE CLEMENTISS. BONO REIP. NATO: QVOD BELGIVM OPT. LEGIBVS, SANCTISSIMISQVE INSTITVTIS REGET, LVSITANI EREXERE.

In tertia frontis poſterioris eleuatione, ſpatio quadrato affixa pendebant Archiducis inſignia. A dextra, ex ęneo monochromate, quatuor anni tempora muliebri forma delineata ex Philoſtrati deſcriptione Phœbus ducebat, aſſcripta ibidem hac proſopopœia:

Expectate venis noſtri ſpes altera ſecli.

A ſiniſtra, Terra ſedebat, altero brachio vrnæ innixa, ex qua vitis aſſurgebat, cum globo aſtronomico ante pedes: quatuor muliebres imagunculæ, prima vuas, altera floridum ſertum, tertia vaſculum liquore aliquo plenum, quarta palmam ceu Victoria ferebat. Sumptum eſt hoc emblema ex aduerſa parte cuiuſdam numiſmatis quod Commodus cudi fecit: cum optimi augurij notis ex Marone ibidem aſſcriptis:

Talia Saturno quondam ſub rege fuerunt Secula.

Erat in eadem eleuatione effigies fluminis Indiæ Gangis, ex tabula plana diligenter exciſa, ſenili forma, barbà & canis, iride paluſtri redimita: Vrnæ incumbebat pedibus protenſis vltra coronicis proiecturam. Aduerſus effluentes ex vrna aquas crocodilus aſcendebat: Diuitias fluuij hoc diſtichon recenſebat:

GANGES.

Mittit ebur, mittit fragrantia cinnama Ganges,
Et quas aurifero flumine voluit opes.

Ex aduerſo à ſiniſtra, barba cana & promiſſa, in alga iacens vrnæ Hydaſpes innitebatur, è qua cum aquis inſignes margaritæ, & magni pretij conchæ abundè effluebant: & erat aſſcriptum:

HYDASPES.

Quiſquis. Hydaſpeo pretium de gurgite concha
Non probat, ingenio ſe probat eſſe rudi.

In infima autem eleuatione Tagus ſedebat, aureis citrijſque malis coronatus, ſenis annoſi figura dedolatus, cum hirſutis ſupercilijs. Dextra pyxidem nauticam tenebat, vrnam verò auratam ſiniſtra, ex qua aureæ profluebant arenæ, nauesque aureæ flumine vehebantur; in quam ſententiam hæc ſymbola tendebant, è verſu aſſcripto agnoſcebatur:

TAGVS.

Lydius amnis opes rutila ne iactet arena,
Nam vehit hæc multa munera claſſe Tagus.

Alterum eius ordinis latus, flumen argenteum denotabat, Rio dela plata vulgò dictum, ſimili cum reliquis figuratione, argenteis vndis ex vrna argentea profluentibus, quod diſtichon aſſcriptum manifeſtum faciebat:

R. DELA PLATA.

Amnis in orbe nouo tumidis Argenteus vndis
Quid ferat, è ſolo nomine ſcire potes.

Infima pars eiuſdem frontis conſtabat ex columnis, opere, numero & magnitudine cum illis quas ſupra deſcripſimus, æqualibus; ſed ſuperficie differebant, quæ Laconici ſiue viridis mar-

dis marmoris erat. Interstitia columnarum, Ioannem II. & Emanuelem Lusitaniæ reges optimos principes exhibebat. De quorum laudibus multa narrare non est huius instituti, hoc enim egregiè præstiterunt historici, & aucta per eos regni potentia testatum reliquit.

Conueniebant emblemata rebus per eos fortissimè gestis. In vno enim sterecobate claua Herculis erat depicta vmbratili monochromate, inter arcum & pharetram sagittis plenam, apposito eiusmodi Horatij elogio:

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

In altero, Taras Neptuni filius delphino insidebat, dextra Victoriam cum geminis corollis, tridentem tenens sinistra, ex antiquo Tarentinorum numismate, cui erat asscriptum ex eodem Poëta:

Illi robur & æs triplex Circa pectus erat.

Exteriora etiam latera quæ vtrinque ædibus imminent, non vacabant ornamentis. In vno, depicti duo signiferi militares Romani triremi insistebant: causa erat:

INDIA CAPTA.

Victória ibidem super triremi, ramum oleæ tenens dextra; læua lauream Crucis signo imponebat, cum hac emblematis explicatione,

TVRCA CLASSE FVGATO.

In altero latere, symbolum Victoriæ, trophæo corollam imponebat, ad cuius palum religatus captiuus, indicabat,

DE ARABIBVS PERSISQVE VICTORIAM:

Cum altero ibidem trophęo de Barbarorum spoliis erecto, seruo ad eiusdem palum manibus post terga reuinctis sedente, & serua reclinato in manum capite, conditionis suæ dolorem indicante, quod esset

DEBELLATVM

AEGYPTIIS, AC MAMALVCCIS DELETIS.

Quatuor præterea serica vexilla, duo crucis signo conspicua, forma à Lusitanis recepta, ex coloribus albo & viridi, è summo arcus prominebant: alia duo, sphæram auream continebant, propter nauigationis industriam, qua gens illa ad inaccessos mundi angulos, & ad remotas ab omni hominum consortio terras, laboris admirabili contentione penetrauit.

Principem venientem plurimi tibicines & cornicines, ex prima operis contignatione ingenti clangore salutabant.





SCHEMA POSTERIVS ARC. LVSITAN.

DESCRIPTIO THEATRI PACIS AVSTRIACÆ IN PONTE MARINO, PVBLICO SVMPTV POSITI.

VT VENTVM eſt ad ſpacioſiſſimam & amœniſſimam totius vrbis viam, quæ Pontis Marini nomen habet, publicum Pegma theatro ſimile, Principis oculis ſeſe obtulit: Mole ſua ingens opus, ornatu autem perſonarum delectabile, ſed re per actum ſignificata, longè gratiſſimum: Machinæ enim ſiue ſcenę nomen erat, Theatrum Pacis Auſtriacæ. Conſtabat ſchemate hemicycli, quod tamen quartam circuli partem non excedebat. Exterior eius peripheria ad pedes nonaginta ſeptem porrigebatur, interiorem quinquaginta quatuor pedes terminabant. Profunditas ſiue diametrus ad pedes triginta duos ſe protendebat. Altitudo pedibus quadraginta attollebatur.

In ſummo faſtigio plutei tripedales (baluſtrias vulgò vocant) ex humilioribus columellis & coronice totum opus ambiebant, & ab vtroque latere deſcendebant, ad aſcendentium fulcimentum.


Gradationibus conſtabat duodecim, quæ ſex præſtabant perſonis ſeſſiones, quas infra ſigillatim explicabimus. Moles erat firma & ſtabilis ſolidis fundamētis, nexibus ligneis, & adminiculis perquam tuta, intrinſecus ab imo ſenſim accliuibus. Scalas vtrinque habebat commodas, ad perſonarum citra impedimentum in ſua ſeſſione collocationem; ſinguli gradus ſua habebant ſuppedanea.

Exterior autem machinæ forma triplici columnarum ordine conſtabat, ad opticam rationem æquabili menſura depictarum, ad theatrorum antiquorum æmulationem. Prima diſpoſitio à terrra ſurgens, Dorica erat; huic ordo Ionicus ſuccedebat, quem Corinthius conſequebatur, cum ſuis ſinguli ſtylobatis, capitulis & zophoris ad perpendiculum lineamque formatis.

Gradus verò ſiue ſeſſiones, à ſummo ad imum tam vaſtæ molis panno rubro obducebantur, quod non ſolùm magnificum erat, & aſpectu periucundum, verùm etiam ſeſſoribus, qui veſtibus ſumptuoſis in ſcenam prodibant, nitidum erat, & percommodum. Sed hæc quod ad ſtructuram attinet, dicta ſufficiant: pergamus ad Perſonas, quæ ſcenæ inſidebant, actusque in theatro eleganter exhibitos.

DESCRI-





THEATRI FORMA EXTERIOR.

DESCRIPTIO PERSONARVM THEATRI PACIS.

N SVPREMI gradus medio, solium erat eminentius, cui insidebat non vulgari forma virgo, amicta veste argento intexta, reliquo corporis capitisque ornatu egregie compta, oleæ ramum dextra tenebat Pacis symbolum, cuius personam designabat.

A tergo eius, supra solium, alatę quinque pedū Victoriæ statua, lauream Paci imponebat.

A dextra Pacis, in eodem gradu Virtus sedebat, dextrà parazonium (quę & παραζωςρὶς Hesychio, & παραμήριον Nouella 85. cap. 4. quod cum Isidoro semispathiū interpretes, Vegetius semispatham vocauit lib. 2. cap. 15.) læuá hastam tenens argenteā, sicut in nummis antiquis effingitur. Quam ordine sequebantur Prudentia, speculum habens, cui gemini angues circumplicantur. Iustitia, cum gladio & libra. Fortitudo, rictui leonis manum inserens. Temperantia ab horologio quod gremio tenebat dignoscebatur. Et Gloria, quæ virtutum merces est, magnificè exculta diademate imperiali redimita, sceptrum & aureum sertum gremio, manu flabellum tenebat pauonaceum.

Sinistram verò Pacis occupabat Honor, qui Virtuti, cuius ille comes est, ex altero latere respondebat; qui vt variè solet effingi, virginali habitu, & lauro tempora ambiente, fasces laureatos amplectebatur.

Honori ratio assidebat, quę aduersæ Prudentiæ congruebat, cū freno in manu deaurato.

Nobilitas è regione Iustitiæ sedebat, quòd nobiles sint custodes Reip. & Iustitiæ administratores: manu sericum vexillum tenebat, & in eo sedecim scuta depicta. Sic enim inter nobiles more maiorum receptum est, vt ex hoc ordine excludantur, qui genus paternum & maternum vsque ad abauos continuata nobilitate referre nequeunt.

Constantia, Fortitudinis ex aduerso comes, columnam pro symbolo complectebatur.

Liberalitas, assecla Temperantiæ, cornu Amaltheæ gestabat pro insigni.

Fama, partæ per virtutes gloriæ præconem agebat, duabus buccinis inauratis, de quibus serica vexilla prominebant, linguis & auribus sparsim depicta.

Stabant præterea in eodem gradu, in extremo vtrinque angulo duo signiferi militares, vel imaginiferi, quos etiam imaginarios vocat Vegetius, æneo thorace prisci ritus perpulcrè armati, & cothurnati, genibus vsque ad tibias nudis Romanam exhibentes antiquitatem. In cassidis apice, plumei albi rubrique coloris fasciculi eminebant. Qui stabat à dextra, D. Philippi regis hastæ affixam ad viuum delineatam gestabat effigiem, aquila aurea serto laureo insidebat. Hinc labarum sericum albi rubrique coloris, sericis itidem funiculis dependebat. Alter in simili signo militari Philippi III. Principis imaginem, seculi nostri delicias prætendebat.

In secunda gradatione, nouem cum suo Apolline sorores, concentu musico, & admodum suaui harmonia, totum theatrum oblectabant. Ipse Phœbus amictu suo, & cincinnis per humeros demissis, personam sui Dei egregiè sustinebat, choroque suo dignus præses, cum quatuor Musis fidibus canebat, Musis quinque symphoniacis, hoc tetrastichon in musicam harmoniam ex arte redactum, voce suaui accinentibus:

Ernestum cantate Deæ, celebrate sorores,
Auspicio cuius munera nostra vigent.
Præmia cultores nostri desueta resument,
Laurus at Ernestum gloria, laúsque manet.



Rneſtum canta te Deæ, cele brate ſo ro res,

Au ſpi ci o cu ius mu ne ra noſtra vi gent. Præ mi a cul-

to res no ſtri de ſue ta reſument. Lau rus at Er neſtum glo ri a lausque

ma net. Lau rus at Erneſtum, glo ri a lausque ma net.



R neſtum can ta te De æ, ce le bra te ſo ro res,

Au ſpi ci o cu ius mu ne ra no ſtra vi gent. Præ mi a cul-

to res no ſtri de ſue ta re ſu ment. Lau rus at Er neſtum glo ri a lausque

ma net. Lau rus at Er ne ſtum glo ri a lausque ma net.




R ne ſtum can ta te De æ, ce le bra te ſo ro res,

Au ſpi ci o cu ius mu ne ra no ſtra vi gent. Præ mi a cul-

to res no ſtri de ſue ta re ſu ment. Laurus at Erneſtum glo ri a lausque

ma net. Laurus at Er ne ſtum glo ri a laus que ma net.


Rneſtum canta te Deæ, cele bra te ſo ro res,



Au ſpi ci o cu ius mu ne ra no ſtra vi gent.



Lau rus at Er ne ſtum glo ri a lauſque ma net Laurus at Er ne ſtum,



glo ri a lauſque ma net





Rneſtum can ta te De æ, ce le bra te ſo ro res, Au-



ſpi ci o cu ius mu ne ra no ſtra vi gent. Laurus at Er ne-



ſtum glo ri a lauſque ma net Lau rus at Er ne ſtum glo ri a lauſque



ma net




R ne ſtum can ta te De æ, ce le bra te ſo ro res, Au-



ſpi ci o cu ius mu ne ra no ſtra vi gent. Præ mi a cul to res



no ſtra de ſue ta re ſu ment. Laurus at Erneſtum glo ri a lauſque manet laurus



at Er ne ſtum glo ri a lauſque manet.

Erant Musæ amictu cultuque venustissimæ, & more antiquo adornatæ. A latere autem Apollinis sinistro, nympha sedebat, quæ casside & hasta Palladem referebat, cui septem artes liberales ex ordine assidebant. Grammatica quinque pedum virgulam rectam dextrâ, gremio, librum Prisciano inscriptum contrectabat.

Rhetorica caduceum alatum habebat, Mercurij eloquentiæ præsidis symbolum.

In gremio Dialecticæ duo iacebant librorum volumina, Aristotelis & Libanij nominibus inscripta.

Geometriæ, globus geometricus, Astronomiæ, horoscopus aderat.

Arithmetica, sectilem è saxo tabulam aureis numeris inscriptam habebat.

Musica, capite laureato, libros Musicos gremio fouebat.

Sequebatur porrò in eadem sessione ad explēdum dextri lateris nouenarium numerum, Virgo cui nomen Industria erat, in cuius gremio vas vitreum iacebat (cucurbitam chymici vocant) quo succos vel aquas ex imposita materia, igne subiecto eliciūt: dextra tenebat bolidem nauticam deauratam, è serico albi rubrique coloris funiculo pendulam. Diligentia, ordinem vltima claudebat, calcaria deaurata manibus tenens, de collo pendebat cornu inauratum, quo in publico cursu vtuntur veredarij.

Tertiæ sessionis personæ erant: In medio Mercurius, amictus eo quo pingitur modo, cum galero, caduceo, & talaribus alatis. Quinque illi à dextra assidebant virgines, à sinistra totidem, nympharum habitu vt & reliquæ insignes.

Architectura cum circino, norma, & perpendiculo aureis.

Pictura cum suis penicillis, aliisque pictorum instrumentis.

Statuaria, cœla, malleum, aliaque eius artis habebat armamenta.

Ars nautica, nauis gubernaculum antiquo more fabrefactum, penes se tenebat, pyxidem nauticam in gremio deauratam.

Typographia aureum prælum ostentabat.

A sinistra Mercurij, Negociatio sedebat, quæ syngrapha & chirographa in manipulum, & libros rationum in gremio habebat.

Mercatura, vasculum mercibus refertum, vt ex signo numeroq; apparebat, mercatorum more asscriptis, aliasque merces in sarcinam colligatas, penes se vtrinque habebat, manu extendebat distentum multis loculis marsupium, ex inaurato corio confectum.

Piscatio, præter piscatorium rete pedibus adiacens, aureum hamum è serico funiculo albo & rubro pensilem tenebat.

Textura, à pectine & radio textorio aurato noscebatur.

Opificina, nympha variis opificum instrumentis, malleo aureo, incude & trulla cœmentaria argentea, se à reliquis distinxerat.

In quarta autem gradatione, duodecim virgines habitu cultuque sumptuosissimæ, totidem regna Hispaniarum Regis designantes, cum suis singulæ regnorum insignibus in scuto depictis hoc ordine sedebant:

Castella, Legio, Tarraconense regnum, Neapolis, Sicilia, Hierosolyma, Lusitania, Nauarra, Granata, Toletum, Valentia, & Sardinia.

Hic in extremo rursus loco, duo vtrinque imaginiferi stabāt, Romana armatura vt præcedentes, ac simili ornatu longè conspicui, plumarum fasciculis in cono galeæ decorè assurgentibus. Prior, Isabellæ regiæ filiæ omnibus animi & corporis dotibus incomparabilis, imaginem intra coronam lauream gestabat. Alter, effigiem Archiducis Ernesti spectatoribus ostendebat.

Reliqua regna & ducatus, per vndecim virgines in quinta sessione cū suis insignibus declarabantur: Galicia, Insulæ Baleares, & Fortunatæ, Burgundia, Mediolanum, deinde seorsim ab aliis, propter actus dignitatem quem in Archiducis ante theatrum aduentu exhibebat, Austria sedebat, deinde Habspurgum, Barcino, Cantabria, & latus vtrinque extremum claudebant duę Æthiopissæ, patrio more seminudæ, vtramque indiam, Orientalem, & Occidentalem denotantes.

Sextum & infimum gradū obtinebant septendecim virgines formosissimæ, totidē Ger-

maniæ

maniæ inferioris siue Belgij prouinciarum personas agentes, quæ ob præsentem rerum statum & discessionem separato loco considebant; Dextrum enim latus occuparant Brabantia, Limburgum, Luxemburgum, Flandria, Artesia, Hannonia, Namurcum, Marchionatus S.R. Imperij, Machlinia, Groeninga.

A sinistra, Geldria, Hollandia, Zelandia, Zutphania, Frisia, Vltraiectum, Transisulana.

Priores decem virgines, suæ singulæ patriæ insignia, sericâ rubri candidique coloris fasciâ, habebant colligata, cuius longiusculam partem extremam, Austria in gradu editiori sedēs, dextra prehenderat. Reliquæ porrò septem virgunculæ sua similiter quæque insignia simili vitta connexa tenebant. Austria, extremam eodem modo partem sinistra attrahebat.

In eiusdem gradus, qui septem à terra pedum altitudine eleuabatur, extremis vtrobique locis, duo lictores consistebant, capite vt reliqui galeato, & antiqua Romanorum armatura decori, cum fascibus laureatis.


Procedente igitur pompa ac Principis comitatu, cùm ante scenam Archidux ipse peruenisset, Austria virgo lepidissima & ornatissima reuerenter assurgens, honore Principi summa cum modestia exhibito resedit, & fasciam vtramq; in nodum colligauit. Incredibile dictu est, quanta hominum multitudo totam viam, omnia tecta, fenestras omnes, vnanimi videndi desiderio oppleuerat, quantoq; intuentium animi stupore, & lætitia perfundebātur. Austriæ enim actus ille, à spectatoribus cum maximo applausu, & hilaritate exceptus est, multisque ob eundem sic animus gestiebat, vt continere lacrymas non possent, gaudij indices, non doloris; hinc enim Principem intuebantur, per quem incolumes fieri sperabant; illinc verò desideratissimus Austriæ gestus, futuræ pacis cogitatione blandiebatur, vt spectatores publici boni optatos fructus gaudio præciperent, & futuram tranquillitatem, animi votis repræsentarent. Hæc omnium studia, & populi vota, inscriptioni in infima theatri parte positæ literis maiusculis cum Austriæ actu conueniebant:

QVOD REGIS CATHOLICI FELICISSIMIS AVSPICIIS SERENISSIMVM ERNESTVM PRINCIPEM OPT. XVII. GER. INF. PROVINCIAS, CONFECTO BELLO PERNICIOSISSIMO, CONCORDI VINCVLO COPVLATAS, CVM CETERIS REGNIS ET REGIONIBVS, OMNIVM ARTIVM ET COMMERCIORVM VIRTVTVMQVE ORNAMENTIS, REDDITVRVM FLORENTISSIMAS BENE OMNES OMINANTVR,

S. P. Q. A.

THEATRI MOLEM ERIGI CVRAVIT.

Quantopere hoc spectaculum Archiduci placuerit, intentus in scenam, ac præcipuè Austriæ gestum, aspectus eius declarabat. Erat certè splendidissimus apparatus, nam præter aurum & argentum, quæ sole auerso oculorum aciem præstinguebant, colores varij, floridi & viuidi, quibus totum theatrum vernare videbatur, magnam intuentibus iucunditatem adferebant. Erant enim non sine magna concinnitate intermixti, cādidus, violaceus, flauus, ruber, viridis, coccineus, argenteus, cœsius, hyalinus, fuluus, russus, cœruleus, citrius, venetus, amethystinus, niueus, luteus, roseus, glaucus, purpureus, croceus, puniceus, melinus, cinereus, prasinus, cyaneus, rutilus, scutulatus, & si qui sunt alij non insuaues nec infaustę notæ colores, qui in vestimentis personarū decenter radiabant Reliqui verò, niger, fuscus, pullus, ater, liuidus, & similes funesti, & inauspicati colores, nusquam admissi. Personæ in scena numerabantur nonaginta & vna, omnes vestibus bombycinis & sericis distincto habitu & forma ex professo ad hunc actum amictæ: quarum impensæ non obscurè demonstrabant officiosas ciuium nostrorum voluntates, qui magistratui roganti potiùs quàm iubēti, in sumptu faciendo ad exornandas filias suas, & in scena collocandas, nec parcè nec grauatè paruerant. Quod etiam liquebat ex torquibus aureis multiplici ordine de virginum humeris dependentibus, armillis, inauribus, monilibus, margaritis, gemmisque pulcherrimis & magni pretij lapillis consertis, bullis & emblematis quibus puellas sumptuosissimè adornarant. Ipsa Austria mundo muliebri præter ceteras erat cultissima. Sed reliqua opera describendo prosequamur.



DRAMATA



TRI PACIS.

DESCRIPTIO ARCVS TRIVMPHALIS GENVENSIVM.

PAVCIS inde passibus Genuensium natio insignem arcus machinam propè vicum, cui à diua Clara nomen est, magno sumptu exstruendum curauerat, tam exquisita dispositionis Corinthiæ symmetria, & elegantia, vt cum reliquis operibus eodem animo publicè positis, de palma ferenda videretur contendere. Erat siquidem omnibus numeris absolutũ opus, vt siue artificium & antiquitatis æmulationem, vel nationis liberalitatem, siue architecturæ venustatem respicias, nihil addi vel demi posse putares. Frons anterior quatuor ingentibus columnis fulciebatur, quæ vsque ad primam coronicem ad XXX. pedes educebantur. Secunda eleuatio quindecim circiter pedibus, fastigium, & statua eidem superimposita, viginti quinque pedibus assurgebat, vt tota altitudo ad septuaginta pedes attolleretur. Arcus seu portæ altitudo pedibus viginti & vno eleuabatur, latitudo eiusdem, pedibus quatuordecim, singula latera, vndecim cum dimidio, tota verò latitudo, triginta septem pedibus terminabatur. Profunditas comprehensis stylobatis in pedes XXIIII. protensa excurrebat.

Erant columnæ ad Lucullei marmoris imitationem summa diligentia fabricatæ & varietate luculenta adumbratæ, cum suis plinthis, & parastatis Laconico marmori haud dissimilibus. Epistylium, zophorus & coronix Parij lapidis candorem adæquabant.

Secunda eleuatio in tres abacos siue quadrata, quatuor pilis structuræ Corinthiæ distinguebatur. Medianum quadratum duobus extremis erat latius, pedes sexdecim latitudine complectens, alia vtrinque quinque pedibus finiebantur. Medium, manu pictoris celeberrimi, tres spectatissimas forma & cultu nymphas continebat penicillo expressas: Hispaniam nimirum, quæ cum diademate & ornatu reginæ sumptuosissimo, aureum dextrâ sceptrum protendebat, cum quatuor orbis partibus ceu Phrygio opere vestimento intextis. Astabat eidem alatus Cupidinis in morem puer, qui Hispaniarum Regis insignia è fascia tenebat. Alteram constabat Austriam esse non solùm ex habitu Imperiali, & depictis in cyclade veste aquilis, sed ex augustissimæ domus insignibus, quæ similis alteri alatus puer è tænia suspenderat. Tertia Belgicam præ se ferebat, & septem artes liberales vesti suæ gestabat inductas. Duo manibus scuta tenebat XVII. prouinciarum insignibus notata, & vitta candida, rubraque colligata; hæc illa vicinæ sibi Austriæ porrigebat, quæ vittis in nodũ arctissimum constrictis, Belgica insignia Hispaniæ tradebat, vultu benigno ea recipienti. Insignium in scutis eadem distinctio conspiciebatur, quam paulò antè in theatro descripsimus, vt decem prouinciæ Regi obsequentes dextro scuto, reliquæ læuo continerentur. Sic quod in scena fuit actu exhibitum, hic per picturam ob oculos ponebatur.

Alterum à dextro latere quadratum Caroli V. Cæsaris Aug. habitu imperatorio effigiem exprimebat: cum his nominibus:

CAROLVS V. AVGVSTVS, VICTOR, TRIVMPHATOR.

In latere sinistro ex habitu & scripto dignoscebatur:

MAXÆMYLIANVS II. ROM. IMP. PACIFICVS.

Infra similiter in spatio vtriusque intercolumnij, hinc pictus videbatur, & legebatur,

MAXÆMYLIANVS I. ROM. IMP. FORTISS.

Illinc, habitu antiquo Imperatoris Romani

HENRICVS V. ROM. IMP. SAPIENTISSIMVS.

De zophoro pendebat, epistylio intersecto, quadrata, & encarpis ornata, literis inscripta semipedalibus hoc sensu tabula:

ERNESTO AVSTRIACO OPT. PRINCIPI,
IN OPTATISS. ADVENTVM, ET GRATAM DE SE BENE MERITORVM
CÆSARVM MEMORIAM, GENVENSES PP.

Ex quo


Ex quo apparebat, quod non solùm de structura, eiusque ornatu soliciti fuerint, verùm etiam de historiæ veritate, & argumenti dignitate. Nam ferè omnes Romani Cæsares quos in vtraque molis suæ fronte spectandos ediderunt, præsentia sua Genuam decorarunt, magnisque beneficiis multisque affecerunt. Ipsi verò vicissim Genuenses, mirifico eosdem gratulationis apparatu, in vrbem suam exceperunt, plurimisque officiis, & obseruantia coluerunt. Quas quidem res gestas hîc recensere cùm longum foret, tum cupidum lectorem compendij gratia ad Ligurum annales euoluendos ablegamus.

Erant columnarum stylobatæ monochromate adumbrati, vt Fides, Spes, Charitas, & Temperantia ex ordine noscerentur. Super fornice in suis triangulis sedebant Victoriæ cum palma vtrinque & laurea corolla. In conuexo lacunaris tertiam indiuiduę Trinitatis personam, forma columbæ candidissimæ, ramum oleæ rostro tenentis, informata eleganter referebat. Hanc quatuor humana statura Angeli cum palma & laurea venerabantur, alijs duodecim minoribus Angelis, cum floribus & sertis circumuolitantibus.

Latera transitus infra testudinem septem Artes liberales æneo colore reddebant adumbratas, duobus Hermis ad Naturæ simulacrum figuratis, singula latera vtrobique claudentibus. Supra secundam eleuationem in fastigio, quod sphynges auersæ vtrinque ornabant, Regię Maiestatis Hispaniarum fulgebant insignia. Super fastigij rotundiori peripheria, statua muliebris vndecim pedes alta cum sua basi erecta locabatur, sceptrum dextra, læua scutum complexa, cui literis aureis Libertatis nomen inscriptum erat: ex quo signo apparebat, eam pro Liguria esse positam. Totam itidem machinam super secunda eleuatione, quadratus ambitus tripedalium pluteorum seu repagulorum percommodè cingebat, cum quatuor obeliscis angularibus, qui pedibus triginta sublimes ac specie quadrata paulatim gracilescentes, in acutum verticem producti assurgebant. In eorum concauitate viginti quatuor pensiles lampades, oleo vitreis vasis infuso, & ellychnio accenso, per fenestellas vitro versicolore pellucidas, gratissimum præbebant obscura nocte intuentibus spectaculum. Obeliscis prætereà affixa erant, tam suæ Celsitudinis quàm amplissimę Reip. Genuensis insignia. E quatuor item pluteorum angulis, totidem hastata vexilla eminebant; permagnum vexillum superius in arcus medio erat positum, omnia cum eiusdem Reip. insignibus.

SCHEMA





ARCVS TRIVMPHALIS GENVENSIVM.

SCHEMA FRONTIS POSTERIORIS IN ARCV GENVENSIVM.



RONS posterior, eiusdem cum anteriori architecturæ & mensuræ, colore tantùm marmoreo differebat: nam maculis variis intermeantibus Chiorum lapicidinas pictor imitatus existimabatur. In summo fastigio XI. similiter pedum statua, habitu Vestali crucem amplexa religionem denotabat: sub qua in tabula quadrata ita exaratum legebatur:

BALDVINVS HIEROSOLYMÆ REX, LOTHARING. ET BRABANTIÆ DVX INVICTVS, POP. GENVENSEM, PRO EIVS IN BELLO SACRO PIETATE ATQVE AVXILIO, AMPLISSIMIS PRÆMIIS REMVNERANDVM, ET CLARO ELOGIO ORNANDVM CENSVIT.

Declarabat inscriptionem media maximaque in secunda eleuatione tabula, in qua Balduinus regio habitu, & sago militari, sanctissimo Seruatoris sepulcro astabat, in cuius aræ hapside hæc verba incisa conspiciebantur:

PRÆPOTENS GENVENSIVM PRÆSIDIVM.

Ex altero salutaris Sepulcri latere, milites Genuenses Romano ritu armati hastis suis innitebantur. Etenim Hierosolyma anno millesimo, & centesimo duce Gothofredo Bullionio expugnata, præcipua totius victoriæ gloria Genuensi auxilio attribuebatur. Qui cum eodem anno sancta sui nominis relicta memoria fatis concesserat, Balduinus eius frater in locum demortui suffectus est: cui Genuenses belli naualis & pedestris apparatu instructa classe, octo hominum millia subsidio aduexerant. His Balduinus, vt ob egregiam quam in Syria expugnanda operam nauauerant, gratum sese memoremque ostenderet, tertiam prædæ vrbium capiendarum, bonamque maritimorum vectigalium partem, multa opida, magnasque immunitates concessit: quorum munerum regium diploma anno CIↃ.C.V. editum adhuc Genuæ asseruatur, & ab Vberto Folietta præclaro eius Reip. historico libro primo insertum recitatur. Ceterùm quod ad insignem monumenti titulum hapsidi aræ prægrandibus literis inscriptum attinet, is longo post tempore ab Almerico Solymorũ rege VI. sublatus, auctore pontifice ibidem est repositus. Hæc ideo ex annalibus Genuensium adscripsimus, vt Gothofredi & Balduini Principum nostrorum inclytam memoriam, & cum gente Ligustica societatem grato animo recoleremus. Dextro huius tabulæ lateri adhærebat Caroli Magni Cæsaris, Imperij in Germania fundatoris effigies. Sinistro, Henricus VII. Rom. Imp. clementissimus, qui habitu Cæsareo insignia Luxemburgi, in ferreo thorace depicta gestabat. Hic anno CIↃ.CCC.XI. ex comite Luxemburgi ad culmen S.R. Imperij euectus, ad Cæsareum diadema accipiendum Romam petens, cum coniuge Margareta Ioannis primi Brabantiæ Ducis filia, in itinere Genuam diuertit, à cuius Senatu, ceterisque ordinibus regio apparatu, omnique honorum genere accepti sunt. Tum Cæsar ibi laboranti intestinis malis Reip. primo extero dominatu introducto, vxorem amisit, eiusque corpus in æde D. Francisco sacra, in marmoreo monumento ibidem reliquit.


Inferius porrò intercolumnium occupabat Fridericus primus Rom. Imp. bellicosissimus: & Conradus Rex Rom. laudatissimus, cuius nomen adhuc exstat in nummo aureo Genuensi, quod anno CIↃ.C.XXXIX. ius nummi signandi ab eodem Principe Resp. acceperit.

Stylobatæ colore monochromateo, Iustitiam, Fortitudinem, Prudentiam & Famam adumbratas exhibebant.

Ad eandem posticam triumphalis arcus partem, quadratum ex quatuordecim Hermulis peristylium cum suis zophoris, & stemmatibus hederaceis (strnicorollas aliqui vocant) ab intercolumnio dependentibus, latam viam coartabat, vt arcum transgressis ad vicum D. Claræ pateret aditus.

Tibicines, liticines, & cornicines supra arcum ad pluteos dispositi, periucundo modulamine, tibiis, lituis & cornibus insonantes Archiducem incedentem comitabantur.

PEGMA



FRONS POSTERIOR ARCVS GENVENS.

PEGMA PVBLICVM IN VIA QVÆ LONGA NOVAQVE APPELLATVR EXSTRVCTVM.



AD EXITVM vici D. Claræ perbellum pegma Reip. nomine constitutum cernebatur, heroici planè argumenti. Ab humo ad proscenium vsque, septem pedes altitudini, viginti quinq; latitudini dabantur, in cuius spatio, armorum genera infinita, & belli apparatus ex arte pictus, militiæ peritis spectatoribus placebat. A scena duo militares Hermæ ad pedes duodecim assurgentes, Zophorum tribus pedibus latum sustinebant, cum fastigio acuminato, cuius angularia acroteria in galeas ornatas desinebant, medianum, in tropheum terminabatur, totamque altitudinem ad triginta sex pedes sublimem eleuabat, hac adnotata in tympano sententia:

NON MINVS GLORIOSVM EST EXTREMA DELERE, QVAM PRIMA DEPELLERE: NAM ETSI PRIMA PRÆSIDIA REIP. VTILIA SVNT, TAMEN EXTREMA SVNT GRATIORA.

Oratio spectabat ad Archiducem, qui si teterrimæ huius discordiæ reliquias oppresserit, totius belli confector censebitur.

Scena quæ septem pedes profunditatis capiebat, rubris velabatur peripetasmatis. In eius medio sella curuli sublimis sede'.at Ars Imperatoria, simili habitu quo Roma figuratur in antiquis marmoribus, & in hortis Cæsijs exstare conspeximus, lauream dextra, pugionem stringebat sinistra. Quatuor Virtutes Imperatoriæ vtrinque assidebant: Peritia rei militaris, cum ægide & hasta; Virtus bellica, præsentis animi virgo casside ac reliqua armatura & amictu antiquitati nihil cedens, nudis brachiis, dextram, qua pugionem tenebat, igni super ara exstructo intrepidè admouebat, figurata fortitudine & magnanimitate, quam Romanus ille Scæuola reliquit prædicandam. Nec deerat Auctoritas, seu Disciplina militaris, quæ teretem dextra baculum bipedalem, tortili flexu, albo rubroque colore distinctum, more tribuni militaris tenebat, læua vitem centurionalem. Notum est antiquitatis peritis in milites extra ordinem deprehensos, animaduersionis per vitem genus, vt ex nummo gentis Didiæ, Liuio, Plinio, Tacito, Plutarcho, Iuuenali, Silio & Lucano, Apuleio etiam & Festo didicimus. Sub vineam, ait Festus, iacere milites dicebantur, cum astantibus centurionibus iacere cogebantur sudes; quod in illa iactus exercitatione, vite quam ad manum habebat centurio, velut parato victis supplicio, milites officij admonebantur, aut cæsi ignauiæ pœnas dabant. Eiusdem militaris castigationis in iure ciuili mentio est, L. Milites agrum. ¶. Irreuerens. ff. de re militari, vbi Macer Iurisconsultus militi qui centurioni castigare se volenti restiterit, vitemque tenuerit, militiam mutat in deteriorem.

Quarta nympha, Imperatoriæ Artis assecla, Felicitas erat, cum cauea pullaria ex antiqui marmoris figura fabricata, sumpto ex veterum religione argumento, qui nisi saluis ex pastu pullorum & tripudio auspicijs, vllam belli gerendi occasionem admittebant. Duo lictores sagati Romano more, & galeæ crista plumatili insignes, cum fascibus laureatis proscenium tuebantur. Personis verò omnibus vestes erant sericæ, versicolores, & perquàm decoræ.



PEGMA AD D. IACOBI.

DESCRIPTIO ARCVS NATIONIS MEDIOLANENSIS.

HOc pegmate præterito, triumphalis arcus ante oculos erat, prope vicum Marchionis, quadrangulum vocant eum locum Itali, ex Corinthia dispositione à negociatoribus Mediolanensibus, vt inscriptio indicabat exstructus, picturarum varietatibus affluentissimus: In quadraginta pedum altitudinem sublatus, XXXII. pedibus latitudini, viginti verò profunditati in transitu assignatis. Columnæ in anteriori facie, binæ vtrinque cum suis capitulis, & sterebatis, Synnadicum marmor albis venis & rubentibus imitabantur. Intercolumnia Rudolphi II. Cæsaris Augusti in Romana panoplia paludati & laureati, & Ernesti Archiducis imaginibus ornabantur, additis vtrobique singulorum insignibus. In fornice arcus Victoriæ sedentes Principem transeuntem lauro coronabant. Super Epistylio & coronice fastigium quadratum attollebatur, continens hæc verba:

ERNESTO

IMP. CÆS. RVDOLPHI AVGVSTI FRATRI, MAXÆMYLIANI AVG. F. FERDINANDI AVG. N. INSVBRES OPTATISS. DICARVNT.

Fastigio insidebat venustæ formæ nympha, altera manu Mediolani insignia, altera hastatum protendens vexillum, cum deauratis Hispaniæ Regis eius Prouinciæ Ducis insignibus. Sellæ cui Insubria insidebat, duo vtrinque Amaltheæ cornua inuersa innitebantur, copiam rerum omnium vbertim diffundentia.

In coronicis extremitatibus ab vtroque nymphæ latere, hinc Padi fluuij, inde Athesis simulacrum, senili forma, palustri alga & arundine coronati, protensis vltra coronicis proiecturam pedibus, vrnis suis incumbebant, aquis & pisciculis affatim effluentibus. Dextra sua Mediolani insignia in labaro serico protendebant. In lacunari, duodecim alati volitabant Cupidines, flosculos lectissimos velut ex alto spargentes. Interiora arcus latera insignibus Archiducis vtrinque ornabantur, quæ pueri aligeri è fascia suspendebãt, inter duos vtriusque sexus Hermas omni florum genere abundè cumulatos.





ARCVS MEDIOLANENSIS.

SCHEMA ALTERIVS FACIEI IN ARCV MEDIOLANENSIVM.



ALTERA eiusdem operis facies, intercapedines columnarum hinc atque hinc depictas ostendebat, duobus augustissimæ domus Austriacæ Imperatoribus, antiquo ritu Romano armatis. Fastigij quadrato litteris maiusculis inscriptum legebatur:

LIBERALITAS ET CLEMENTIA PRINCIPVM DECVS.

Quod referebatur ad duas muliebri forma effigies, summo fastigio insistentes, quarum altera inuerso cornu Amaltheæ Liberalitatem, altera agni & liliorum symbolo Pietatem, quæ innocentiam & candorem postulat, significabant. Fluuij similiter ex vtroque imaginum latere, eodem habitu quo in fronte anteriori, assidebant, Ticinum, & Adduam referentes, Insubriæ amnes haud ignobiles.

Erexerant præterea paulò vlteriùs pegmatium quoddam classiarij, ante ædes Viceameralij cuius supra mētionem fecimus: quem Præfectus rei maritimæ Illustris Carolus Mansfeldiæ Comes vices suas tueri iusserat. Eratque non modò spectatu dignum, quod ex marinorum genere nudi & semiferi vtrinque Dij Archiducis insignia complectebatur, sed quòd immensæ longitudinis vexilla, & naualia ex serico aplustria, cum Regis & Ameralij insignibus, ad nauem Prætoriam exornandam comparata, totas à summo fastigio ædes operuerant, ingensque classiariorum tubicinum numerus auras omnes sonitu oppleuerat. Nec displicebat pegmatij inscriptio:

ERNESTO AVSTRIACO SERENISS. CAROLI MANSFELDIÆ COMITIS
REI MARITIMÆ CLEMENTISS. REGIS CATHOLICI IN BELGIO
EIVSDEMQVE EXERCITVS GALLICI PRÆFECTI
N O M I N E
FIDEI, OFFICII, OBSEQVIIQVE TESTIMONIVM CLASSIARII PP.

Sed quoniam in nomen Ameralij incidimus, notum quidem omnibus vocabulum, sed satis obscura sui origine, quæ nos in commentariis de eo habemus non incommodum erit adijcere: Sic ergo à Ioan. Lucio placit. libro quarto, titulo sept. scriptum inuenio: θαλασσιαρχίαν quam latinè maris præfecturam vulgò Amyralitatem appellamus ἀπὸ τῆς, nisi fallor, ἁλμυρίδος, hoc est salsugine vel re maritima, voce vt quidam existimant Gallis cum Græcis, Maurisque communi: hæc ille. Sunt qui aliter ex Græco fonte hanc vocem deriuent, & ἁλμύραρχον ab ἁλμυρῦ, hoc est salso, quod mari proprium est, & ἄρχον deducant, ex quo vulgus Euphoniæ gratia amyralium conflauit. Ceterùm cùm Ameralij dictio nusquam exstet antiquior, quod equidem sciam, quàm in libro Curopalatæ de officialibus palatij Constantinopolitani, qui ita scribit, ὁ ἀμυράλιος ὑπὸ τὸν μέγαν δοῦκαν εὑρίσκεται, ἤγειται δὲ τοῦ στόλου παντός, Ameralius magno duci subest, præest autem classi vniuersæ, aliis item duobus locis Ameralium suo ordine idem auctor recenseat, & apud Rob. de Monte ad Chronologiam Sigeberti, qui ad annum cIↃ. C. LVII. ita scribit: Stolus etiam Amiralij Babyloniæ obsedit Accaron: facilè quiuis animaduertit vocem hanc ex lingua peregrina in Græcam migrasse, declinante Orientis imperio, quo tempore idem auctor scripsit, cùm ocellus orbis Græcia multarum gentium concursatione, à prisca sua eloquentia desciuit, vocesque infinitas origine Hæbræas, Chaldæas, Arabicas, Italicas & Germanicas suo admiscuit idiomati. Facta igitur compositione ex Arabico Amira vel amiras Græca terminatione, id est, præfectus vel imperium obtinens, & Græco ἅλιος, id est, marinus, dictio Ameralius in vsu venit. Est autem vox Amera siue amiras pro summo præfecto, vel eparcho apud recentiores historicos frequens, Zonaram, Cedrenum, Nicetam & alios: vt etiam ille annotauit qui in Curopalatem notas scripsit. Hinc gentes omnes Europeæ Ameralij vocabulum ex Arabico & Græco acceperunt. Tametsi non desint qui aliter sentiant, & inter ceteros Renatus Choppinus vir eruditissimus, libro de Domanio Franciæ primo, vbi de Gallicæ Nauarchiæ potestate tractat, & Vincentius Lupanus de Magistratibus Francorum; Sed penes lectorem esto iudicium.



FRONS POSTERIOR ARC. MEDIOL.

PORTÆ TRIVMPHALIS FLORENTINORVM DESCRIPTIO.

PERGAMVS ergò ab Ameralitatis pegmatio ad pulcherrimam Ionici operis triumphalem portam, à natione Florentinorum qui numero admodum pauci sunt, in Archiducis honorem exstructam, prope sacellum D. Nicolai in eadem via raro artificio compositum opus, & prędiuite ornamento. Quod ad eius mensuram attinet, prima arcus eleuatio ab infimis columnarum stybolatis, plintho, basi, scapis, capitulis, epistylio, zophoro, & coronice, xxv. & semis pedum altitudinem attingebat. Latitudo pedibus extendebatur triginta duobus. Transitus sex & viginti pedum longitudine finiebatur. Totum ferè opus Thebaicum marmor colore coæquabat, venarum meatibus in lapide nigro decorè candescentibus.

In spatio vtriusque stylobatæ emblemata erant ex vmbratili monochromate, nimirum ara, cui adiacebant ægis & hasta, cum his notis:

ARMORVM ET SAPIENTIÆ PRÆSIDI.

Palladi scilicet, cuius statua intercolumnium exornabat, in suo loculamento (quod à forma lintris excauatæ scapham vocant nonnulli architecti, aliqui etiam hemicyclia, vulgus nicciam) collocata, ad humanæ staturæ proceritatem, cum Gorgone, hasta & casside sua, ea tantum nuditatis parte velo tecta, quæ castos oculos publicè offenderet. Supra caput infra epistylium aliud emblema ex nummo Lysimachi adnotatum erat:

MINERVÆ PACIFERÆ.

Zophoro inscriptum erat hoc distichon:

Hic vir, hic artificis restaurat dona Mineruæ,
Redde pares eius meritis, Antuerpia, laudes.

Archiducem intelligit, quem lanificium & pannarium, quo nullum vtilius huic emporio commercium, breui restauraturum confidimus.

In altero intercolumnij latere, humanam staturam egregiè referebat Herculis simulacrum, in simili quo Pallas receptaculo positum, cum exuuiis leonis & claua deaurata. In stylobate, aræ astabat nodosa eiusdem Herculis claua, cum his verbis:

INVICTÆ VIRTVTIS HONOS.

Supra caput sub epistylio emblema Herculis reductoris boues à Caco abactas reducētis.

In zophoro eidem & Archiduci hos versus attribuerant:

Viribus Alciden superas, Erneste, potentem,
Funesti qui monstra domas immania belli.

In arcus fornice pendebant cœlata Archiducis insignia, quibus ingens aquila insidebat, & gemini semiplanæ cœlaturæ leones vnguibus eadem vtrinque tenebant, sex pedum singuli magnitudinis. Supra coronicē in secūda columnatione, ex humilibus columellis quadratum erat sepimentum, cum pulchro fastigio, quod inter quatuor Ionicas columnas eleganter assurgebat, vbi ingens tabula quadrata auctores machinæ, & causam declarabat:

ERNESTO AVSTRIO OPT. PRINCIPI CÆSARIS FILIO, CÆSARIS FRATRI, MVLTORVMQVE IMPP. LONGA SERIE N.
IN TESTIMONIVM OBSERVANTIÆ ERGA REGEM PHILIPPVM II. CATHOL. AVST. OMNESQVE PP. AVGVSTISSIMÆ DOMVS AVSTRIACÆ, FLORENTINI DD.

In dextro eiusdem eleuationis, & intercolumnij interstitio, commodo pro operis conuenientia loculamento, nudæ mulieris anguem in se reuolutum stringentis, stabat simulacrum, Æternitatis ex Boccacio symbolum.

Ex altero latere, simili loco Famæ effigies. Coronicis extremis vtrinque angulis tripedales Cupidines insistebant, hastatum vexillum dextra tenentes, læua tabulam oblongam

fasciolis suspensam, quæ statuæ in supremo fastigio positæ nomen proponebat in hunc modum:

Iure tibi, ô Virtus, locus est in vertice summo,
Nam cælum petis, vt cælo est affinis origo.

Simulacrum Virtutis, pedibus decem sublime consistebat, quemadmodum in nummis Vitellij, Adriani, & aliorum figuratur, cum casside cristata, parazonio & hastili. In basi eiusdem, galerus Ducalis serto laureo concludebatur, cum hoc elogio;

SOLI DEO GLORIA.

Quod Archiducis Ernesti symbolum esse quidam ferunt, pio Principe, & Christiano reuera dignum. Hæc statua, molis altitudinem ad quinquaginta tres pedes euehebat. Quatuor ad hæc obelisci angulares ad pedes viginti in fastigio eminebant. Infra quatuor scalpti leones vnguibus tenebant serenissimæ familiæ Mediceæ, magniq; Hetruriæ Ducis insignia.

Intestini quoque operis nitor cum reliqua molis elegantia certabat, nam in summo lacunari aspiciebantur rosæ deauratæ, ingentis foliaturę, ad veterum laquearium imitationem. Nec minus laterales ibidem picturæ contemplatione transeuntes detinebant. Quarum altera huiusmodi historiam exhibebat:

C. IVLIVS CÆSAR OCTAVIANVS, M. ANTONIVS, M. LEPIDVS, III. VIRI COLONIAM FLORENTIAM EX NOBILISSIMIS QVIBVSQVE FAMILIÆ TRIBVS SCAPTIÆ DEDVCENDAM, ET PRIMA VRBIS FVNDAMENTA FACIVNDA CVRANT.

Tiberis & Arnus vtrinque assidebant, hic, penes se lu[illegible]m, leonem ille depictum habebat. Insignia similiter hinc S. P. Q. R. illinc noscebantur Florentinorum, In spatio niueo lilium rubrum, cum hoc pentasticho infra asscripto:

Me rerum domini fortes genuere Quirites,
Assiduúsque labor belli, generosáque virtus
Protulit imperij fines concordibus armis,
Mox armis iunctæ ingenuæ victricibus artes,
Prouexere opibus cunctis & honoribus auctam.

Altera tabula continebat Fesulanorum cum Florentinis coniunctionem, quod hæc verba indicabant:

FESVLANI IN VNVM EVNDEMQVE POPVLVM CVM FLORENTINIS, A QVIBVS DEBELLATI CAPTIQVE FVERANT, COALESCVNT.

cum his versibus infra exaratis:

Filia cui Mauri fecit cognomen Atlantis
Fesula, quanquam altis iacet vsque oppressa ruinis,
Esse tui partem tamen, ô Florentia, gaudet.

POSTE-





ARCVS FLORENTINORVM.

POSTERIORIS FACIEI IN PORTA FLORENTINA DESIGNATIO.


RONS machinæ posterior ſimili ordine columnarum, colore, elegantia, emblematis & ſymbolis condecorabatur. Ipſum faſtigium Regiæ Maieſtatis Hiſpaniarum inſignia, dextram Pietas, læuam verò Iuſtitia occupabant.

In ſpatio inter maiores columnas imago Victoriæ cum palma & laurea humanam ſtaturam exæquabat, Templo Virtutis & Honoris ſupra caput appicto, cum proſopopœia in zophoro ſcripta:

Hac iter eſt, Erneſte, tuis hac laurea factis,
Et meriti virtute tibi debentur honores.

Emblema ſimiliter Felicitatis publicæ, ex nummo Titi ſuper hac imagine erat collocatum. Infra inter ſtylobatas gemina vtrinque de Barbaris trophæa.

Alterum verò interçolumnium, Religionem intuentibus exhibebat, quæ Erneſto Archiduci militari habitu & clypeo inſigni, Victoriam digito oſtendebat, cum emblemate ſupra picto ex nummo antiquo: Reſtitutori Belgij. Erant & in zophoro annotati verſiculi in hanc verborum formam:

Robore Relligio Belgas defenſa tuetur
Auſtriaco, monſtratq; Duci ſua præmia magno.

SEQVI-





SCHEMA ADVERSÆ FRONTIS ARCVS FLORENTINI.

SEQVITVR DESCRIPTIO OPERIS LVCENSIVM.

POST vbi in Viam nouam peruentum est, quę Breuis dicitur, ad alterius differentiam, quam Longam supra appellauimus, conspecto foro quod Lacteum vocant, Corinthij operis arcus à Lucensibus erat erectus, mira venustate & elegantia, ac genere ornamenti vario locuples. Qui licet vna tantùm fronte constabat, nec peruius erat, sic tamen ex optica ratione depictus prospectu suo, & abscedentia arridebat, vt reliquis operibus triumphalibus nihil cederet. Nam transitus loco, ciuitas Luca graphicè depicta spectabatur, supra quam magna volabat aquila, in cuius alis aureæ notæ ad S. R. Imperium spectabant:

FOVEO ET FAVEO.

Quatuor columnæ Corinthiæ, quæ varietate marmorei coloris illustres, lapidem Africum imitabantur, opus fulciebant, cum stylobatis, plintho, scapis, capitulis, epistylio, zophoro & coronice sublime quadraginta quinque pedibus fastigium euehentes; latitudo quadraginta pedibus producebatur. In harum dextro intercolumnio absolutissimè picta Diana statura plusquam humana, Laconico more φαινομηρίς, vel iuxta Virgilium nuda genu, venatricem referebat; nam arcum manu, pharetram ex humeris pendentem gestabat, astante ad pedes venatico cane. Erat & supra caput asscriptum hoc distichon:

Illa diem reddit pallentes dum fugat vmbras,
Tu pacem reddes sedato, Erneste, tumultu.

In zophoro harum duarum columnarum legebatur hic versus dialogisticus:

Quid Belgas sperare iubes Erneste? Quietem.

In medio zophoro super fornice hæc inscriptio causam operis, & auctores denunciabat:

ERNESTO AVSTRIACO ARCHIDVCI SERENISS. ANTVERPIAM FELICITER INGREDIENTI, LVCENSES AD SINGVLAREM OBSERVANTIÆ DECLARATIONEM.

In sinistro verò intercolumnio, Palladis armatæ venusta effigies ad Archiducem per hos versus referebatur:

Monstra domas animi gladio virtutis, vt hostes
Vincit casta suos vltrici cuspide virgo.


In zophoro supra columnas posito ad eundem spectabant hæc verba:

BELLA CIVILIA EXPELLO, BONOS CONFIRMO.

Super totius machinæ coronice fastigium eleuatum in suo quadrato continebat Archiducis Ernesti insignia. Tres autem in summo alati Cupidines humeris connixi Regiæ Maiestatis insignia sustentabant: astantibus vtrinque duobus aliis Cupidinibus, quorum alter ciuitatis Lucæ, alter Reip. siue Libertatis prætendebat insignia. Extremo coronicis impositi obelisci cum argenteis pilis ad duodecim pedes attollebantur. Stylobatæ & bases trophæis ornabantur ex vmbratili monochromate, & historiis Romanis Curtij, Coclitis, Scæuolæ & Cincinnati collustrabantur. Infra prospectiuam prope humum panthera complexa saxum quadratum vnguibus tenebat, quod sermone ad Archiducem pertinēte hunc versiculum inscriptum habebat:

Mœnia Luca tibi pandit sua, pectora ciues.

A dextro verò molis latere, quod ad eam accedentibus læuum erat, sex columnarum porticus quædam cum sua coronice viam muniebat, vt ad dextram Archiduci flectendus esset vlterior progressus.



OPVS TRIVMPHALE LVCENSIVM.

DESCRIPTIO OPERIS MATERIATI AD INGRESSVM VIÆ VACARIÆ POSITI.

BREVI autem à Lucensium machina interuallo, simile opus è plana materia ad prospectum seu opticam artem haud negligēter adumbratum, ad Vicum Viteum statui iusserat magistratus, quod ex obliquo viam Vaccariam obstruebat, forumque ad læuam flectentibus ostendebat. huius operis altitudo, triginta & vno pedibus educta, latitudo ad viginti quinque pedes pertingebat. Super pictarum columnarum coronice tria quadrata loculamenta columnis separatis insignes quatuor effigies continebant. In medio ceteris capaciori Regiæ Maiestatis imago ad viuum depicta statura naturali, & habitu domestico venerationem intuentibus excitabat; & astanti Archiduci rerum Belgicarum imperium committebat. Super coronice Aquila vnguibus diadema suspendens, cum palma & sceptro Maiestatis erat emblema. Tertia effigies Principis Philippi diuinam indolem præ se ferebat; erat enim ad viuum reddita ex autographo recenter Madriccio Bruxellam allato. Pro eius symbolo supra eminebat, Sol oriens cum quadrigis, & his versibus in tetragono scriptis:

Cum Phœbo imperium diuisa sorte Philippus
Tertius Austriacæ gloria gentis habet.
Hic sua signifero distinguit tempora circo,
Seruat & ætherias nocte diéque vices:
Ille sed in terris est sidus, & orbis ocellus,
Est Helice, populis & Cynosura suis.

Cuius eximia virtutum tyrocinia oculos omnium quas sol aspicit gentium, hoc in se modo conuerterunt, vt felicissimis indolis eius beatissimæ auspicijs, Christianus orbis se consoletur, hostes verò coniunctam virtutibus potentiam horreant. Nec minus placebat quarta ordine imago filiæ Regiæ Isabellæ, quam ob prudentiam singularem, præter ceteras animi dotes, quæ in illa sunt plurimæ, omnium rerum & consiliorum Rex consciam facit & participem: pro cuius symbolo tres Gratię Theologicæ, Fides, Spes & Charitas, more Charitum sese mutuò complectebantur. Inscriptio quoque non illepido argumento talis erat:

Bella vetat positis Isabella resumere telis
Austrias, & sexus gloria prima sui.
Commendátque Duci te, Belgica bella, benigno,
Confecta vt solitas pace reducat opes.
Tolle caput, medijs pacem bellator in armis
Reddet, & imperio secula bella suo.

Erat præterea pari cum imaginibus verborum numero asscriptum in medio hoc elogium:

HOC QVATERNARIO FELIX BELGICA.

Cuius auctor siue ad illam Pythagoræ τετρακτὺν & Hieroclis philosophi in carmē eius aureum commentarium respexerit, siue ad Platonis libri quarti de legibus locum, vbi res humanas omnes à quatuor quibusdam existimat gubernari, Deo scilicet, Fortuna, Opportunitate & Arte, nemo est qui hanc τετράδα Belgio salutarem esse diffiteatur.

SCHEMA


HOC QVATERNARIO. &c.
CVM PHOE-BO
BELLA VE-TAT.
OPVS MATERIATVM AD VIAM VACCARIAM.

SCHEMA GIGANTIS ANTIGONI, QVEM DRVONEM ALII VOCANT.



OSITVS erat in Fori medio immani corporis vastitate colossus ille, Gigantis Antigoni, cuius suprà meminimus, sedentis simulacrum, cuius statura viginti septem pedibus attollitur, artificiosè elaboratum cum Romana panoplia. Antigonus ille à Brabone superatus, punita meritis contumeliis tyrannide, posteris pro trophæo constitutus est. Sceptri loco teretem habet in manu baculum flexuoso volumine albo rubroque coloribus inductum. Comites ante pedes habebat sui similes, personatos & sericis amictos vestimentis, Furorem, armis & face ardenti horridum senem, rabiem oculis & gestu demonstrantem: Discordiam flammas seditionis folle animantem. Diffidentia laruis duabus personata sedebat, cum asscripto hoc tetrasticho:

Vidimus Austriacos toties, Erneste, triumphos,
Nunc eadem fortuna manus dare cogit eidem
Imperio, victos tamen oppressosq́ue fateri
Non pudet, Austriacis nam flectitur orbis habenis.

Nec longè hinc ante ædes collegij Dimicatorum, quas habent in foro, D. Michaëlis Archangeli imago de victo diabolo triumphum agebat: cum his verbis ibidem asscriptis:

DIVO MICHAELI ARCHANGELO,
PROPVGNATORI CÆLESTI, TVTELARI. N. S.

Infra verò sic legebatur:

ERNESTE DVCVM MAX.
QVOS
DIVVS MAXÆMYLIANVS I. CÆS. AVG. ABAVVS TVVS SIBI SVISQVE POSTERIS DVCIBVS BRABANTIÆ, CORPORIS CVSTODES CREAVIT, HIC IN OCELLO VRBIVM SE DEO OPT. MAX. REGI, ATQVE TIBI DEVOVENT.
LL. M. Q.

Ex aduerso Stygius ille Python hos versus è collo suspensos habebat:

Cælestis belli dux magnus vt ille Michaël
De septemgemino victor serpente triumphat;
Sic debellato malefido protinus hoste,
Magne, nec immeritos perages, Erneste, triumphos.

PEGMA-



SCHEMA GIGANTEI COLOSSI.

PEGMATIS PVBLICI IN FORO POSITI DESIGNATIO.



NTE ædes Senatorias egregium pegma, & loco ſuo non indignum erat erectum, in tres ſcenas ſiue tabernacula decenter diſtinctum: in quibus octo forma & habitu lepidiſſimæ puellæ, ſtatum Reip. benè ordinatæ, eiuſque perſonas concinnè ſuſtinebant. Pegmatis altitudo ad triginta tres pedes, latitudo ad quadraginta protendebatur. Rubri intus coloris pannus peripetaſmatis loco erat. A proſcenio quod ſeptem ab humo attollebatur pedibus, quatuor vtriuſque ſexus Hermæ tria tribunalia ſeparabant, ex quorum epiſtylio, quod capite portabant hederacea ſtemmata cum lemniſcis dependebant. Supra zophorum faſtigium aſſurgebat acuminatum, in cuius acroterio biceps Aquila paſſis alis mundi globo inſidebat; In tympano ſcripta erant hæc verba:

DEO AVCTORE,
PHILIPPO AVSPICE,
ERNESTO VINDICE.

Perſonæ pegmatis erant amictæ & ornatæ radiantibus auro & argento, variiſque coloribus veſtimentis: Quarum duæ in medio ſedebant, loco nonnihil editiori. Religionem vna amictu Veſtali, ſtricto altera gladio Iuſtitiam referebant: vtramque in nube deſcendentes Angeli lauro coronabant; duoque adoleſcentes cultu angelico in proſcenio ſtabant, ceu tabernaculi apparitores laureati. In altero ad dextram tabernaculo, Lex ſedebat cum duobus voluminibus & his notis ff. & Cod. Æquitate cum benè recto haſtili, ſeu regula argentea, illi aſſidente, & Conſuetudine ad ſiniſtram, quæ in libro notato ciuitatis inſignibus Ius municipale conſcriptum oſtendebat. In altero prætorio tres virgines ſedebant: Annona ariſtis maturis coronata, cum panibus caniſtro vimineo impoſitis. Moneta ex aſtante ſibi incude, malleo & forcipe monetalibus inſtrumentis dignoſcebatur. Politea, quo nomine vtimur abuſiuè pro parte publicæ adminiſtrationis, quæ cognoſcit de rebus numero, pondere & menſura conſtantibus, tria eadem verba in ſcuto argenteo aureis literis notata proponebat. In vtroque pegmatis angulo, lictor aſtabat cum ſago Romano, caſſide & faſcibus Conſularibus. Pegmatis inſcriptio & ſenſus erat:

D. O. M.

QVOD INSTINCTV DIVINITATIS ERNESTVS AVSTRIACVS PROVINCIAS BELGICAS IN CATHOLICA RELIGIONE, IVSTITIA INTEGRA, LEGIBVS PATRIIS, AC MAIORVM INSTITVTIS REGIÆ MAIESTATI FIDELES, OBSEQVENTES, ET BEATAS CONSERVABIT,

S. P. Q. A.

HANC ARAM D. D.

Domus autem Senatoria, dum hac Princeps iter faceret, tibicinum Magiſtratus miniſterio addictorum cantibus tota perſonabat.

SCHEMA



SCHEMATIS PRIMATIS IN FORO.

SCHEMA ELEPHANTI.



NEc longè progreſſo ad vetus forum Frumentarium, Archiduci obuium ſe dedit vaſtæ magnitudinis Elephantus, quod genus animantis, quia tam Belgis quàm ceteris Europæis perrarò videtur, in anniuerſariam pompam producunt Antuerpienſes, à quibus Elephantus poſtremò viſus fuit quem Rex Luſitaniæ fortiſſimus Emanuel Ferdinando Cæſari Auguſto dono miſit, anno his literis numeralibus incluſo: BrabantInI VIDerVnt ELephanteM. Columnam XIIII. pedibus ſublimem cum baſi & capitulo bellua dorſo geſtabat, & ſuper eâdem Auſtriæ ſimulacrum Victoriam alatam manu tenentis, inſignibus domus auguſtiſſimæ aſtantibus. Serica veſte inſtrata erat beſtia, quæ per virum intromiſſum proboſcidem attollebat, & huc illuc detorquebat. Verſus quoque pari cum baſis lateribus numero, rationem ſtatuæ hanc reddebant:

Auſtralis veni Libyæ, ſpectator, ab oris
Auſtriacum ſubiturus onus: nam maxima magno
Pondera conueniunt, animantia cetera geſtent
Vulgus, ad Auſtriacos non ſuffectura triumphos.

ARCVS





SCHEMA ELEPHANTI.

ARCVS PVBLICVS AD FORVM LINARIVM.



HVIC spectaculo arcus successit via Alta exstructus ad forum Linarium, qui magnam adferebat intuentibus voluptatem. Nam super prima eleuatione, quæ erat ab humo XXXI. pedibus erecta, ingens columna attollebatur, cuius diameter tres pedes semis in crassitie vindicabat, altitudo cum basi & capitulo viginti octo pedes attingebat, cui nouem pedum Gruis effigies erat imposita pro recepto Vigilantiæ symbolo. Tota altitudo LXXXVIII. pedes assequebatur. Latitudo molis ad pedes XXX. promouebatur. Columnæ autem quæ Constantiæ symbolum est, gemini angues pro symbolo Concordiæ appendebant ad formam caducei circumplexi, fasces Romani vtrinque affixi, Imperium denotabant, seu publicam eius exercendi potestatem. In parte scapi inferiore, in laureo serto, duæ dextræ sibi mutuò iunctæ Fidei symbolum exprimebant: Quæ omnia ad talem pertinebant sententiam hac inscriptione ibidem propositam:

SVB PRINCIPIS INVICTI, ERNESTI AVST. BELGICO IMPERIO,
CONSTANS FIDES, VIGILANSQVE CONCORDIA METV
MALOS COERCEBVNT, AD BONORVM SECVRITATEM.

Super basi eiusdem columnæ Scaldis fluuius depictus sedebat, cui aduolans aquila oleæ ramum rostro adferebat. Basim leones vtrinque deaurati vnguibus tenebant. Super extremis coronicis partibus, hinc Regiæ Maiestatis, illinc S. Imperij Marchionatus insignia sertis laureis continebantur. Zophorus & intercolumnia encarpis cum suis lemniscis ornabantur. Stereobatæ emblematis illustrabantur. Muliebres in vtroque latere imagines, Hæc dextra hastam, cornucopiæ sinistra complexa tenebat, cum his notis literarum:

IN VTRVMQVE PARATVS.

Archiducem intellige, qui bellum non metuit, & honestis æquisque conditionibus pacem inire, rerumque omnifariam copia affluentes Belgicas regiones efficere desiderat. Altera, Victoriam dextra tenebat subductis læua nonnihil vestibus, rostrum nauis pede calcabat, cum asscriptis literis:

VOTA POP. BELGICI.

SCHEMA





ARCVS PVBLICVS AD FORVM LINARIVM.

SCHEMA ADVERSÆ PARTIS ARCVS PVBLICI.


IN LACVNARI fornicato, virginis habitu depicta Antuerpia summam animi præ se ferebat tranquillitatem: astantibus duobus vtrinque Cupidinibus, qui ciuitatis insignibus incumbentes, similes erant quietè dormientibus. In latere transitus, qui ad pedes XII. se protendebat, Nauigatio à dextra, à læua spectabatur Agricultura rustici effigie iugatis bobus tutò arantis. Quæ carmine alteri frontispicio inscripto sic explicabantur:

Erigis Ernesto cur celsam, Antuerpia, molem?
Quòd spe sic animos erigat ille meos.
Illius auspicijs pulso quod Marte, reuiset
Tecta quies, portum nauita, taurus agrum.

In eâdem fronte posteriori super coronice duo virilis staturæ aligeri, Archiducis gentilitia stemmata tenebant. A dextra ibidem lauro redimita Ducatus Brabantię insignia noscebantur, ciuitatis Antuerpiæ à læua stabant in rosaceo, vt solent, serto. In dextro stereobate, muliebris imaguncula super cornu Amaltheæ duas se inuicem aspicientes gestabat ciconias; sumptum ex antiquis numismatis emblema, Pietatem vtriusque Philippi significans. In sinistro iacebat super aram spiris suis inuolutus, erecto tamen capite serpens, ex quo constabat, quòd esset ara salutis publicæ quæ in vtroque Philippo est posita.

PEGMA-





ADVERSA FRONS ARCVS AD FORVM LINARIVM.

L

PEGMATIS IN PONTE D. IOANNIS DESCRIPTIO.

NON valdè multis ab hoc arcu paſſibus, in ponte quem D. Ioannis vocant, perelegans pegma conſpectum fuit, latum pedibus triginta, altum quadraginta. Hermæ pedum quindecim proceri, Deum nymphamque marinam referebant, ornati piſciculis, cancris, pectunculis, conchis ſtriatis & echinatis, turbinibus, conchiliis, vmbilicis, arundine, alga, iuncis, aliiſque æquoreæ pompæ deliciis. Iidem zophorum trium pedum ſuſtinebant, in cuius medio faſtigium aſſurgebat, in quo marini vtriuſque ſexus ſemiferi Dij in circulo ouato hoc triſtichon exhibebant:

Erneſtus Scaldi, Nereides, arcta leuari
Vincla iubet, refluóque vadum ſulcare meatu
Rurſus, & æquoreis iterum colludere nymphis.

Hic autem dramatis erat ſenſus. Scaldis fluuius Antuerpiam præterfluens, per incumbentem capaciſſimæ vrnæ nudo corpore virum, glauco velo parciùs cinctum, exprimebatur. Is propter ſublatum vel potiùs clauſum hoc diuturno bello commercium, catenis vinctus fingebatur, quas eius Celſitudine coram pegmate veniente, cum magna alacritate, & immenſæ multitudinis acclamatione ſex nymphæ marinæ diſſoluebant. Doris ſcilicet, Galathea, Panopœa, Niſea, Amymone & Nais, puellæ lepidiſſimæ, & ſericis indumentis alióque mundo muliebri cultiſſimæ. Solutis catenis quas nymphæ præ gaudio ſubſilientes manibus tractabant, & concutiebant, copioſam aquam magno cum impetu ex vrna ſua Scaldis effundebat, ceu reſeratis, vt omnes confidimus, Archiducis Erneſti fortitudine & prudentia fluuij faucibus, & nauigatione reſtituta, qua hæc ciuitas olim floruit, & in celeberrimum excreuit emporium. Decem tubicines claſſiarij ingenti clangore hunc actum celebrabant. Duo præterea in vtroque pegmatis angulo nudi Tritones virili ſupernè forma, pinnis infra vmbilicum adglutinatis, reliquum corpus ſub proſcenio abſcondebant, & velut Scaldis miniſtri aut præcones æneis cornibus intus occultatis horrendo ſtrepitu conchas inflabant.

SCHEMA





PEGMA AD PONTEM D. IOANNIS.

SCHEMA NAVIS VELIFICANTIS.

ACCEDEBAT ad dramatis perfectionem ſpectaculum nauis velificantis, quæ ad onerariæ ſimilitudinem omnibus armamentis & ornamentis inſtructa, à primo aquæ ex Scaldis vrna fluxu, curſum cum magna facilitate perfecit. Nec erat quem non magnopere oblectaret mira duodecim nautarum cum ſuo nauarcho, habitu thalaſſico, & cauſia ferruginea cultorum agilitas. Eorum enim alij per foros curſitabant, malum aſcendebant, alij reliquis claſſicis muneribus ex arte nautica peritè fungebantur. Altitudo nauigij cum malo & apluſtribus triginta tres pedes efficiebat, latitudo à prora ad puppim vſque in pedes viginti diſtendebatur. Tabulis etiam vtriuſque lateris ſic erat inſcriptum:


Erneſti Ducis imperio, qui vellere fulget
Aeſonio, non Cyanei Symplegada ponti,
Non hoſtes horremus, auet gens omnis in altum
Vela dare, & ſolitas inuiſere puppibus oras.

SCHEMA




ERNESTI DVCIS IMPERIO

SCHEMA BELLVÆ MARINÆ.



NEc deerat ficto in terris mari æquoreum numen; nam eodem in litore (sic foro aut viæ nomen est) inmani septendecim pedum altitudine, viginti & octo longitudine, cetacei generis belluæ insidebat nudus Oceanus, cum glauco amictu circum femora negligenter reiecto, qui magno molimine tridentem argenteum hac illac protendens, ceu maris imperium periucundè exercebat. Bellua autem per suos physeteres aquam copiosam eiaculabatur. Duo præterea Dij marini illam procedentem comitabantur, quorum alter, Phorcus nimirum, super Delphine Castoris gestabat & Pollucis effigiem, cum singulis supra caput stellis, vt eos è nummis antiquis depinximus: cum his verbis ibidem ex Propertio ascriptis, breui quidem sed illustri elogio:

Vince mari, nam terra tua est.

Magnorum certè Principum est, efficere, auctore Thucydide, ne qua gens alia illis classe præpolleat; sin minùs, vt quæque munitissima & firmissima est, ita eam amicam habere: tantique momenti maritimum est imperium, vt ex militiæ naualis vsu, facilior sit terrestris; & relicta continente, maris custodiam diserta oratione apud eundem Historicum suadeat Pericles.

Palæmon verò Deorum alter, pro emblemate ferebat globum geometricum super nauali gubernaculo, cum his verbis oraculi vice cum præcedenti inscriptione consonantibus:

CONSILIO THEMISTOCLEO.

Nota sunt τείχη ξύλινα ex Apollinis oraculo, quod Themistocles intellexit, prudentissimus Imperator, cui cura fuit ad bellum antiquissima, naualis apparatus, vt rerum in Græcia potiretur: Siquidem ad summam Remp. pertinet (ita legit Cuiacius) nauium exercitio, l. 1. §. licet. ff. de exercitor. actio: idque tam præsidij, quàm ornandi imperij causâ, vt pro Flacco Cicero.

SCHEMA





SCHEMA PORTICVS TEMPORARIÆ FVGGERORVM.



SPECTACVLIS hiſce matinis præteritis, ſeu ludis Neptuniis, quibus Archidux oculos vehementer paſcebat, ventum eſt ad porticum temporariam, quæ duplici ſerie ab officina Monetaria, vſq; ad D. Michaëlis abbatiam pertingebat, ipſumque Principem in palatium deducebat, in pedum mille protenſa longitudinem. Pilæ ſiue columnæ arte pictoria effictæ, cum Hermulis numero centum & quinquaginta duæ, ex vtroque latere ſic erant diſpoſitæ, vt ſingulis Hermulis ſingulæ pilæ, relicto duodecim pedum intercolumniis ſpatio, alternatim ſuccederent: altitudo pilarum cum ſtylobatis, epiſtyliis, zophoris & coronicibus pedibus quindecim eminebat, ſtemmatibus ex opere topiario hederaceis ab intercolumniis arcuatim dependentibus. Introitus faſtigium cum aquila Cæſarea & diademate, ad triginta quinque pedes aſſurgebat. Porticus latitudo pedibus viginti terminabatur. Zophorus hoc ſcripto auctores indicabat, & in publica gratulatione priuatam Fuggerorum liberalitatem:

ERNESTO AVSTRIO, PRINCIPI VIRTVTE ET ARMIS INCLYTO, SVSCEPTVM GERMANIÆ INF. IMPERIVM, ET ADVENTVM GRATVLANTES, MARCVS, IOANNES, ET IACOBVS FVGGERI FRATRES, BARONES IN KIRCHPERG, ET VVEISSENHORN, PORTICVM TEMPORARIAM EXSTRVI CVRARVNT.

Ab aquilæ dextra, Auguſtę Vindelicorum inſignia erant poſita, à ſiniſtra familiæ Fuggerorum. Alternis autem pilis & Hermulis, in tabulis ad ſcuti formam exciſis, Principum Auſtriorum ſuperſtitum effigies, cum ſymbolis eorum & ſtemmatibus gentilitiis pingebantur: alternæ pilæ funalia affixa ſerie continua ſuſtentabant, donec ad duodecim Cæſares peruentum eſt, qui impenſis eorundem baſibus impoſiti, pedibus ſeptendecim ſublimes conſiſtebant, & quatuor optimorum Cæſarum Rom. totidem Græcorum, ac Germanorum auguſtum collegium hoc ordine exhibebant:

XII. CÆ-





PORTICVS FVGGERORVM.

XII. CÆSARVM DESIGNATIO.

C. OCTAVIANVS CÆSAR AVG. PATER PATRIÆ.

In basi verò sub eius effigie emblematis loco depictus Cæsar, templum Iani occludebat, cum hoc scripto:

IANVM QVIRINI CLAVSIT.

Sequebatur Titus Vespasianus, amor & delitiæ generis humani, pro cuius emblemate in basi depicto, ipse & pater quadrigis inuecti triumphabant de

IVDÆA SVBACTA.

Tertius, Nerua Traianus Cæsar Germanicus, pro emblemate Cæsar Germaniam genu nixam dextra porrecta eleuabat, cum hoc elogio:

GERMANIA MANSVETVDINE IMPERIO ADIECTA.

Quartus, Imperator Antoninus Pius Aug. Cuius symbolum Cæsar erat sella curuli sedens, ius dicturus, coram astantibus viris Senatoriis, causam aliquam disceptantibus; cum hoc scripto:

IVSTITIÆ CVLTORI.

Primus autem Græcorum Imperatorum erat

IMP. CAES. CONSTANTINVS MAXIMVS FVNDATOR PACIS.

cum hoc emblemate; ex quo liquet quòd

IDOLORVM TEMPLA CLAVSIT.

Alter erat Theodosius Cæsar, Pius, Victor. Cum imagine in basi D. Ambrosij, Cæsari in genua procumbenti manum imponentis, per quem

DEO ET ECCLESIÆ RECONCILIATVR.

Sequebatur Fl. Iustinianus Cæsar Aug. In cuius basi Cæsar in regio sedens solio, gemina legum volumina ad pedes habebat,

LEGIBVS RESTITVTIS.

Quartus Græcorum, Imp. Rom. Heraclius Victor, fidelis & pius in Christo. Emblema habebat ex aduerso magni sui ænei numismatis, vbi currui insidet Imperator:

CRVCE DOMINI RECEPTA.

Sequebantur quatuor Germanorum Cæsarum lumina:

IMP. CAROLVS V. AVG. PIVS, FELIX, VICTOR, TRIVMPHATOR.

cum emblemate Religionis inter trophæa spoliorum barbarorum, & verbis asscriptis:

CHRISTIANÆ RELIGIONIS VINDICI.

Post hunc Ferdinandus Cæsar Aug. piiss. opt. Max. eius symbolum Victoria erat globo insistens Geometrico, cum nauis gubernaculo, & hoc elogio:

ORBE RESTITVTO.

Tertius erat, Maxæmylianus II. Imp. Aug. virtute fortissimus, pietate clementiss. In cuius basi pro symbolo sedebat Clementia cum Ciconia ante pedes, & his notis:


CLEMENTIÆ, ET PIETATI CÆSARIS ÆTERNÆ.

Vltimum locum obtinebat Cæsar Rudolphus II. Aug. opt. fortiss. felicissimus. Cuius emblema trophæum erat, religatis ad palum captiuis Turcis, asscriptoque elogio:

TVRCA DELETO, PANNON. LIBERAT.

Faxit Deus Opt. Max. vt eius auspiciis & consiliis felicissimis victoriæ termini hîc non consistant, sed propagatis in Græciam finibus, ab hostis immanissimi teterrimo dominatu Christianus orbis liberetur, ac restitutum Orientis Imperiũ Romano iterum coniungatur.

TROPHÆA,


XII. CAESARES.

TROPHÆA.



LAVDEBANT porticum, totamq́ue viam triumphalem è ſpoliis terreſtribus & maritimis bina trophæa, ceu conficiendi belli præſagia, quæ ad triginta ſex pedes erigebantur, in triginta pedum latitudinem extenſa; cuius zophorus inſignia Archiducis ſuper coronice ſuſtinebat, talemq́ue inſcriptionem legendam proponebat:

Aſpice, magne Ducum, terræq; marîſque trophæa
Factis digna tuis, ad quam te Belgica palmam
Fata vocant & vota, Deus tua cœpta ſecundet.

Interea





ASPICE MAGNE DVCVM
&c.

TROPHAEA.

INTEREA dum hæc passim in vrbe peraguntur, in Principis Aula ciuitatis Ammannus siue caussarum ciuilium prætor Ioannes D'amant equestribus à Rege ornamentis donatus, & Magistratus Archiducem exspectabant, quem vbi honorificè consalutassent, Philippus Ayala ciuitatis Orator seu Pensionarius sic dicere aggressus est, eique totius Reip. nomine aduentum gratulari.

Ad primam aduentus Celsitudinis tuæ serenissimæ famam, S. P. Q. A. existimauit D. O. M. imprimis immortales agendas esse gratias, D. Philippi Regis ac Principis nostri clementissimi prudens consilium laudibus extollendum, toti verò Belgio quàm maximè exultandum, quòd te potissimùm tantum Principem, tam præclaris animi ac fortunæ dotibus ornatissimum, publicæ salutis gubernaculis admotum, ac nos tuæ curæ commendatos intelligeret. Verùm quum hæ congratulationis ac gaudij caussæ minimè videantur tibi communes, qui propriis rebus commodisque postpositis, quin etiam omissa Principum fratrum suauissima consuetudine, tantam molem, tot difficultates subire dignatus es; in communi omnium gratulatione, & ex tuo aduentu percepta lætitia, immensas Serenis. Celsitudini tuæ per me gratias agere Senatui visum est; quòd tantùm illa oneris boni publici causa suscipere voluerit, nec ab optimo Principe in laboris consortium assumi recusauerit. Non enim te propria quædam cupiditas, sed vtilitas aliena, nec prosper ac lætus Inf. Germaniæ status te huc euocauit, sed ad sananda infelicis Belgij vulnera commiseratione permotus accessisti. Non ergo quemquam ætas, non sexus retardauit, quo minus animum oculosque recrearet exoptatissimo huius diei spectaculo. Hinc illa multitudinis propè infinitæ, paruulorum, iuuenum, senumque concursatio, hinc illa tam virginum, quàm matronarum, videndi tui causa vbique frequentia. Vidimus oppletas vndique vias, tecta repleta ac suo ferè pondere laborantia conspeximus. Vidisti ipse ciuium, ac populi vniuersi par vbique studium & contentionem; Hos armis decoros, strenuos, alacres, illos theatris, pegmatis & arcubus vidisti obsequium, fidem, obseruantiam tibi declarare. Exigua quidem illa, nisi & à tua benignitate, & ab animo nostro pondus accipiant. Rogat igitur obnixè oratque Senatus, vt hæc qualiacunque grati animi indicia, Serenissima tua Celsitudo boni consulat, hanc vrbem, ciuesque omnes beneuolentia complectatur, & in animum inducat suum, hæc arma pro Catholica religione defendenda, pro fide & obsequio Regi debito, pro tua salute quoque comparata: omnes verò ciues sanguinem profundere, vitamque deuouere pro incolumitate & patriæ concordia lubentissimis animis paratos esse, hanc denique nostram congratulationem tantùm abesse ab adulatione, quantum illa abest à necessitate.

Hęc Pensionarius, ab honorario, vel annua pensione, quę tanquam ordinario, perpetuoque magistratus assessori illi soluitur, iuxta Romanam analogiam ita dictus.

Ad quæ in hanc sententiam ab Archiduce responsum est:

Pergrata sibi esse ciuitatis Antuerpiæ in se studia & officia, nec Principi immemori exhibita fuisse. Regi placuisse eum Belgij rebus administrandis præficere, eandem prouinciam à se susceptam esse, non quòd ignoraret quibus illa tempestatibus iactatur & affligitur, sed quòd diuino fretus auxilio ad eas sedandas huc se contulisset. Quibus miseriis vt finis imponatur, operam se omnem clementer daturum, ciuesque Antuerpiæ, ipsumque magistratum se semper benignè commendatos habiturum.

IGNES

IGNES TRIVMPHALES.

HOc apparatu viam triumphalem emenſo Archiduce,& palatium ſuum ingreſſo, ciuitas vniuerſa ad ignes triumphales exſtruendos accingitur. Qua etiam in re admirabile pop. Antuerpienſis ſtudium enituit. Nam præter impenſas in vaſa picata & funalia à Rep.factas,tam ingentes in foro à ſex vrbis collegiis,à nationibus apud arcus triumphales,& in omnibus paſſim viis,vicis & regionibus,ab optimatibus, aliiſque ciuibus ignium ſtrues erant erectæ, vt omnia vrbis tecta conflagrare viderentur; quum tamen in tanta flammarum congerie nihil planè incommodi ciuitas acceperit; nam periculo incendij Senatusconſulto proſpectum erat, aquis publicè & priuatim in vaſa diſpoſitis,ad noxios ignes, ſi qui fortè euagarentur,reſtinguendos. Fuit hoc etiam à pleriſque obſeruatum,qui omnia proſpera & felicia ex hoc aduentu omina captabant, quod in tanta populi tam varij frequentia, in anguſtiis viarum, in pegmatum aſcenſu vel deſcenſu,nemo obtritus, nemo lapſus, nemo vſquam læſus fuerit; quod in ſimilibus ſpectaculis rarum eſt, quia ſæpiſſimè luctus pro ludis, dies pro feſtis funeſti redduntur, & ex celebritate calamitas oritur.

Poſtridie ſunt ignes denuò inſtaurati,pari ciuitatis applauſu & lętitia,nec minorum ſpectatorum quàm pridie frequentia, nec inamœniori tubicinum, tibicinum, cornicinum, buccinatorum & liticinum concentu,totam ferè noctem inſomnem traducentium.




IGNES TRIVMPHALES.



SEQVENTI die decimo ſexto Kal. Iulias eius Celſitudinem Claſſiarij oblectarunt, ludicro admodum & nauali ſpectaculo. Nam claſſe ſubducta ad eam fluuij oram, qua muros ad D. Michaëlis præterlabitur, in Principis conſpectu naualia prælia hoc modo exhibebant: Ex delectis Claſſiariis natandi peritis, duo ſe mutuò ad certamen prouocabant, qui ſcapha conſcenſa in extrema puppi ſtabant. Haſtam vterque manu tenebat, qua alter alterum cymbis aduerſo remigio colliſis tanto impetu excipiebat, vt vel alteri cedendum eſſet, & prolapſo enatandum, aut vtriſque ſimul cadentibus certamen iterandum. Victores tubicinum præconio declarati, victi omnium riſu excepti, eoque maiores plauſus ſublati, quo frequentiores aduerſarij concurrebant. Præcipuam ſtantes in ripa ſpectatores ex deturbatorum ridiculo geſtu capiebant voluptatem; vt ea de cauſa non ſolùm deiecti, verùm plerique etiam victores in vndas ſe ipſi præcipites darent, qui membris aqua refrigeratis, ad pugnam velut integri redibant, dum prœlia nocte dirimerentur. Fuit & aliud ab iiſdem Claſſiariis certamen exhibitum, non minùs ludicrum nec iniucundum. E duobus nauigiis in anchoras fixis transuerſus funis & ex eo anſer ſuſpenditur, ab aliquo eorum detrahendus, qui ſinguli in ſcaphæ puppi conſtituti velociſſimo remigio aduehebantur, vt nimio impetu delati vel errarent, vel auem prehenſam non ſatis ſtringerent, & in aquas excuterentur, dum aliquis collo anſerino diſrupto, & aue detracta victor euaſerit.

Decimus tertius Kalendarum dies binis ſpectaculis fuit ſolemnis: nam annuam Dominicæ Circumciſionis pompam, ante annos ferè quingentos inſtitutam, quæ more maiorum die Sanctiſſimæ Trinitatis, Nonis Iunij per vrbem ducta fuerat, Senatus iterum decreuit exhibendam, tum vt hominum multitudinem, quæ cum Archiduce illuc confluxerat, hac anniuerſaria celebritate reficeret, tū quod Principi omni honoris genere digniſſimo, quodcunque officij & publicæ beneuolentiæ teſtimonium, haud ingratum fore putaret. Facta eſt igitur cum ſumma diligentia ſolito auctior pompa, ſpectaculis illis eidem accedentibus, quæ in optatiſſimo in vrbem ingreſſu, in publicis pegmatis recenter conſpexerat. Nec diſplicuiſſe hoc genus officij, præſentia ſua comprobauit: è domo enim Senatoria hilari vultu ferculorum & ludorum inceſſum, & Collegiorum armatos ordines, cum clero & magiſtratu ſubſequentibus ſpectauit, dum ad vnum omnes præteriiſſent.

His verò ſpectaculis haſtæ ludi ſucceſſerunt, ceu in quandam feſtiuitatis & oblectamenti à ciuibus dati compenſationem. Germani & Itali quidam nobiles, prope Pontem marinum commodo loco hos ludos ediderunt. Quintanam vulgò hoc ludi genus vocant, quæ palaria antiquis erant, quia ad palum exercebantur milites. Pali in terram figebantur, vt nutare non poſſent, ſex pedibus ad viri ſtaturam eminentes, eum palum cominus ſudibus, eminus miſſilibus feriebant, teſte Vegetio, & eius commentatore doctiſſimo Godeſcalco Stewechio, varios ibidem auctores citante, qui huius proluſionis militaris meminerunt. Ceterùm palum etiam fuiſſe imaginem ligneam terra fixam, quam vel enſe, vel haſta petebant, & cum qua certatim tanquam cum hoſte congrederentur, Volaterannus memoriæ prodidit; hanc ego pedeſtrem exercitationem & ὁπλομαχίαν ad equites tandem tranſiiſſe exiſtimo. Cum quodam igitur ſimulacro verſatili, & armis induto, luſoriis haſtis equites concurrebant, illique palma cum plauſu dabatur, qui curſu equi velociſſimè concitati, ictu rectiùs deſtinato imaginem figeret, & frequentiores lanceas frangeret.

Sexto porrò Kal. Iulias interfuit Princeps feſtiuæ actiunculæ, quam patres Societatis Ieſu bonarum literarum profeſſores per diſcipulos ſuos ediderunt. Argumentum erat Belgij ſtatus, olim quidem florentiſſimus, ſed in cuiuſuis generis luxum effuſis incolis, hinc autem in cultus diuini negligentiam, inde in ſeditionem & hæreſim prolapſis, perturbatiſſimus & miſerrimus. Sed Belgica ſanæ iam menti reſtituta, & Eccleſiæ reconciliata, rerum ſuarum in aduentu Archiducis ſpem omnem collocabat, eiuſque auxilium implorabat, vt confecto tandem bello, priſtini ſtatus proſperitatem, ſplendoremque reciperet.

LVDI

LVDI EQVESTRES APPARATISSIMI.

IN TANTA ergò per totam ciuitatem ſtudiorum in Archiduce colendo, & voluntatum conſenſione, ſtatuit & ipſe ludorum apparatu nonnihil laxamenti à laboribus ſibi dare, peropportunam ratus è nobilium quarundam feminarum ſermunculis, quos de ſua Celſitudine ſerebant, offerri occaſionem. Nam cùm inter egregias virtutes, quæ in hoc Principe plurimæ ſunt, vitæ ſeueræ, continentis & ſobriæ ſemper amauit honeſtatem, eandem cum nouo hoc Belgico Imperio continuandam ſibi propoſuit, vt aptior illo digniorque haberetur, quo ſuis ipſe affectibus imperioſior eſſet. Nec minus illi curæ fuit domeſticam aulæ ſuæ diſciplinã, ad ſui exemplum & formam componere, neque ſolùm putauit magnificum eſſe, immunem ab omni vitiorum contagio ſeipſum præſtare, niſi & omnes quos circa ſe haberet ſimiles ſui efficerentur. Quam quidem vitæ morumque rationem omnes ſperabat imitaturos, correcto prioris ſeculi malo, eoque obſequij peruenturos, vt quod à Principe probari viderent, in ſe transferrent vitæ genus. Nec malè reſpondit conſilio euentus, permulti ſiquidem reuerentia honeſtatis, quam illi placere animaduerterent, ad ſeueriorem diſciplinam tranſierunt, quorum alij comitatum, alij cœnarum apparatum minuerunt, & ſi qua ſunt alia quibus opum impendia, vitæque liberiùs agendæ inſtitutum metiri ſolemus. Solis mulierculis quibuſdam nobilibus, quæ Principum crebris ſalutationibus, epulis nocturnis, & ſaltationibus, ac eiuſmodi blanditiis ex aula ſublatis, exiguam ſui rationem haberi arbitrantur, res illa videbatur ad ſui ſexus dignitatem pertinere. Quemadmodum autem in vitijs excuſandis ad proximæ virtutis ſimulacrum confugimus, & in virtutibus attenuandis, eaſdem in confinio vitiorum collocamus; ſic multæ mulieres quantumuis honeſtiſſimæ, viros vxorios & mulieroſos, ne dicam γυναικομανεῖς, tanquam liberaliter inſtitutos, & aliis omnibus præferendos exiſtimant: continentes & modeſtos, pro ignauis & inertibus, pro immanibus temperantes habent. Hinc illa moderatæ diſciplinę reprehenſio, ac ſi cum morum ſuorum grauitate Dux temperamentum neſciret coniungere, & ab illa ſeueritate nonnihil remittere, ab animi quoque contentione ad leuamentum, à labore ad quietem, ad ludos & conuiuia nonnunquam deſcendere. Hæc apud pleroſque multorum ſermonibus iam percrebuerant, vt cauſa indicta ceu parum φιλόγυνος cenſendus videretur, niſi perlato ad aulam rumore, affixo palatij valuis programmate, ius dici pro equeſtri, qua ceteris antecellit, dignitate poſtulaſſet. Programmatis autem hæc erat ſententia:

Eques quidam peregrinus vbicunque terrarum occaſionem quærens, qua ſuæ virtutis ſpecimen daret, in hanc percelebrem frequentemque nobilibus aulam tandem appulit. Qui cùm ſe tacitè coargui reſciuerit, ac ſi non pari cum ſui ſimilibus cultu ac ſtudio, mulieres genere formaque præſtantes obſeruare videretur, pleraſque hoc etiam de illo ſuſpicari: Hanc opinionem vt à ſe amoueat, in arenam prodire III. Kal. Iulias ſtatuit, probaturus iniuriam ſibi fieri, curſuque equeſtri & haſta certaturus, ſe tanta illas obſeruantia, quanta vlli vſquam equites, colere, nec ſe in hoc officij genere cuiquam cedere, cuiuſcunque fuerit nationis aut dignitatis.

Hac prouocatione ſic diuulgata, inſtructus eſt ludorum in Ponte Marino exhibendorum ſumptuoſiſſimus apparatus.

Tres portæ ad ingreſſum in arenam eriguntur, media, lateralibus duobus pedibus altior, cum Cupidine orbis globum Herculeo more ſuſtinente, ad pedes viginti ſublimis attollitur, vno pede lateralibus protenſior, quindecim pedum dimenſione comprehenditur, tota arenæ latitudo quadraginta tribus pedibus, longitudo trecentis quinquaginta terminatur. Cupidini hemiſtichium tale aſcribitur:

Non Atlante minor.

Vt

Vt in exitu arenæ ſimili portæ faſtigio innititur cum leone ferociſſimo decertans Cupido, aſſcriptis his verbis:

Doctus ſufferre labores.

Poſtes portarum ex Hermulis Cupidineis ſimiliter conſtabant omni florum genere exornatis, fornices ex ſertis & ſtemmatibus lemniſcatis. Ex quatuor ſepimentis duo arenam in medio concludebant, & ſtadia lateralia ab extremis repagulis diſtinguebant, quibus curſu confecto ad caput arenæ redibatur, nam exteriora ſepimenta populum ſpectantem ab arena ſecludebant. Meta ducentis ab ingreſſu pedibus hoc modo diſtabat: Duo Cupidines ſericum funiculum tranſuerſum diſtendunt, de quo tres annuli deaurati, paulò plus vnciæ pedis diametro, ſuſpenduntur, qui effuſis habenis currentibus equis cuſpide haſtæ ab equitibus figendi, & ad Iudices erant in lancea deferendi, vt præmia pro annuli cuiuſq; ſorte, propoſitiſque conditionibus cuique decernerent, non procul à meta in ſuggeſto ſeſſuri, & præmia ad manus ibidem habituri. Dicto autem certamini die, ob cœli intemperiem in poſterum dilato, pridie Kal. Iulias ludi ſunt editi, quibus nihil elegantius, ſi ſpectes argumentum, vidit Antuerpia; ſi magnificentiam, nihil ſumptuoſius. Conſcenſo igitur agonothetæ pulpito, palam præmia proponi iubent, ſcyphos, pateras, aliaque vaſa & pocula argentea, cælata, deaurata, coniectas in lineam margaritas, elenchos, cylindros, adamantes, carbunculos, aliaſque gemmas & lapillos auro incluſos, torques, armillas, inaures, ſtalagmia, monilia, & ſi qua ſunt alia mundi muliebris in delitijs ornamenta. Erant athlothetæ ſiue arbitri delecti, Illuſtriſſimi Generoſiſſimique Petrus Erneſtus Mansfeldiæ Comes, & Marchio Varembonus, Aurei Velleris Equites, & Ducis Sabaudiæ Sereniſſimi Legatus, Illuſtriſſimi præterea Cenomannorum Ducis Orator. Quibus cùm nobiles duo veredarij, quos tres ſequebantur equites perſonati tanquam è longinqua regione venientes, conditiones prouocatorias ſcripto tradiderunt; tota equitum perſonatorum pompa cum ſuo peditatu in arenam deſcendit. Princeps Erneſtus ceu agminis ductor omnes habiturus antagoniſtas, ex habitu regali & ſuo comitatu bene noſcebatur, & à tympanis æneis illi præcedentibus, Germanico more à tympaniſta equite non inſcitè percuſſis. Præcedebant ſimiliter octo tubicines, & ſex à pedibus miniſtri perſonati, veſtibus ſericis omnes adornati, & ex ſuæ Celſitudinis recepto colorum ſymbolo candidati, ruſſati, flauoque colore conſpicui. Principis galea ex rictu leonis erat deaurata, & pellis pantherina tota fuit aurea, qua eius equus inſternebatur. Reliquus amictus, eiuſque quatuor aſſeclæ Illuſtriſſimi & Generoſiſſimi Petrus Henriques de Guſman Fontium Comes, ex regio Gothorum in Hiſpania ſtemmate oriundus, cum mandatis ampliſſimis in Belgium ablegatus, & Carolus S. R. I. Princeps Comeſq; Arenbergius, torquatus aurei velleris Eques, Carolus Comes Egmondanus, cum D. de Freſin, eodem quo Princeps ornatu Romano ferè more exculti, cum perſonatorum à pedibus miniſtrorum ingenti multitudine magnam maieſtatem præ ſe ferebant. Sequebantur duo nobiles adoleſcentes equites, lanceas geſtantes flexuoſo volumine coloribus inductas, quibus Archidux certaturus erat. Tum prodiit in arenam manipulus Æthiopum feſtiuè perſonatus, ductu generoſi Baronis Ioannis de Berneſtain cum tribus S. Celſitudinis cubiculariis nobilibus, qui regio habitu & diademate Æthiopiæ Regem ſolio hexaphoro ſedentem & geſtatum, cum ſatellitio, & frequenti Æthiopum ſeruulorum numero in pompam produxerant. Ad cuius ſpectaculi iucunditatem accedebat admiratio, tam Æthiopum multitudine, erant enim nonaginta, plurimi natiua, reliqui inducta nigredine ſplendeſcentes, quàm exempli nouitate. Pueri Æthiopes numero ſeptuaginta omnes nudis corporibus incedebant ludibundi & ſaltantes, alij ſiſtris, crotalis, tympanis, alij fiſtulis & clamoribus totam caueam ſtrepitu implebant. Duæ etiam ex Pannonia adductæ cameli, quod genus animantis a plurimis annis Antuerpia non viderat, quinos ſingulę pueros Æthiopes dorſo geſtabant. Arabicas eſſe ex Ariſtotele & Plinio diſcimus; differunt enim à Bactrianis, ſingulis in medio dorſo tuberibus, vno in pectore, cui incumbunt ſeſſorem vel

aliud

aliud onus admiſſuræ: Nam ita eas edoctas vidimus, vt agitatore virga leuiter crura tangente, in genua procumberent, rurſus admonente in pedes ſurgerent. Tribus mulis doſſuarijs pueri Æthiopes ſimiliter geſtabantur ſpicula & haſtilia per ludum vibrantes, arcubus & pharetris à tergo dependentibus. Sex Æthiopiſſæ ſaltatrices crepitacula digitis percutientes patrio more circa ſuum Regem ad numeros ſaltabant. Reliqui porrò equites hoc ordine ſequebantur, curſu equeſtri de præmiis certaturi, mira elegantia perſonati, ex Germanica nobilitate, Belgica, Hiſpanica & Italica. Prima poſt Æthiopes ſocietas ingreditur Alberti Fuggeri cum aliis ſex equitibus & duobus aſſeclis, tunicis Aſiatico more demiſſis; ex candido & cæruleo coloribus ornata, & haſtilibus peltiſque Amazoniis armata. In eodem quoque grege cum plauſu excipiebatur equeſtris regina vel herois perſonata tres equites captiuos in mediam pompam trahens, pedicis & catenis argenteis conſtrictos ſeruili etiam vnco ſimiliter argenteo ceruicem inſerentes. Sex deinde Belgicæ nobilitatis proceres ab Illuſtris Comitis Florentij Balaymontij equitis Argonautico vellere decorati partibus ſtantes, peramœno pompam auxere ſpectaculo. Nam ex opere plumatili ſiue Braſiliano ornabantur vniuerſi, totique operiebantur, ſumpto à Regibus noui orbis exemplo, qui plumarum veſtibus intextarum varietatem, artificio vix noſtris phrygionibus imitabili, in magno pretio habent. Hos duo equites venuſti ſequebantur, amictu toti candido, & plumeis faſciculis denſiſſimis & altiſſimis præ ceteris eminentes, ac ſpeculis in vmbonibus clypeorum latè radiantes. Ab hiſce venuſtatibus non abfuit Cupido, qui & ipſe eques ſuo more perſonatus fidibus canebat, ſuaque potentia & oblectamento duas nymphas equeſtres in pompam attrahebat ſplendido reginarum habitu exultas. Venit & ſodalitas D. Iacobi de Pimentel ſex equitum Hiſpanorum cum duobus aſſeclis tunicis amicta nigris heteromallis, limbis ex argento confertim prætextatis. Quinque poſt illos incedebant equites à ceteris habitu, ex viridi, albo cæruleoque coloribus egregiè diſtincti, qui cœtus Marchionis Badenſis erat. Nec erat illepidus piſcatorum equeſtrium perſonatus quaternio, ex Germanicarum legionum legatis, piſciculos hamo capientium ſimilibus; nec inanis captura ſpectatricibus puellis, quibus illi obijciebantur: nam exenteratis iiſdem piſciculis chirothecas vnguentis delibutas eximebant, vel tale quid munuſculi ex illecebris amatorijs. Claudebat totum agmen in arenam deſcendentium eques magnifico laruatus apparatu, qui ſua ſolitudine pulloque colore frondi aridæ ſimili, quo totus amictus & ornatus conſtabat, ſubtriſtis videbatur, Venere fortaſſis non ſatis propitia. Sumptum erat argumentum è Ludouico Arioſto, amoris in virgine Bradamanta ludibrium, veſte virili ſexum ementita, feſtiuiſſimè deſcribente. Aderant & ad ſcenæ iocique ſupplementum equeſtres Sanniones, ex comicis Italorum vel potiùs Atellanis delicijs paraſiti, quorum actio perridicula plauſum vulgo concitabat. Semel igitur atque iterum pompâ vniuersâ per arenam circumductâ, ad curſum equeſtrem quiſque ſe parat. Ter erat vnicuique in hoc ſtadio decurrendum, toties Principi præcurrendum. Tum ſigno per eius tubicines dato, Archidux prouocator certamen aggreditur, ac equo incitato effuſiſſimo freno, annulum primo curſu tetigit, altero verò haſtâ transfixit, victorque omnium applauſu euaſit, & repetito ſæpius curſu neminem ex omnibus antagoniſtis parem habuit: Nam plura ſolus præmia vicit, quàm reliqui omnes. Si tam frequenti vno die victoriâ Græcorum aliquis potitus fuiſſet, apud quos viciſſe in Olympico certamine propè maius erat & glorioſius, quàm Romæ triumphaſſe, quibus illum celebraſſet gens illa præconiis? At ſibi ſatisfactum Erneſtus Princeps exiſtimauit, quod victor ſuffragijs arbitrorum declaratus, & populi plaudentis hilaritate, ſexum eundem teſtem habuit, & ſpectatorem virtutis ſuæ & magnanimitatis, cuius gratia certamen ſuſceperat. Præmiis ergo inter illuſtres nobileſque mulieres diſtributis, ad epulum quod erat in domo Senatoria apparatiſſimum, ſub noctem itum eſt. Menſæ ibidem erant opiparè & ſplendidè iuſſu ſumptuque ſuæ Celſitudinis dapibus conquiſitiſſimis inſtructæ. Conuiuarum numerus cum aulica familia ad quadringentos accedebat. Multa ibi epulantium colloquia, ſermones de Principis dignitate plurimi, qui illuſtrium feminarum, omniumque aſſenſu non ſolùm abſolutus à ſuſpicione, ſed etiam adeptus eſt, vt reuera merebatur, eam

ſui exiſtimationem, quòd grauitatem Principe dignam morum ſciret condire ſuauitate, & imperij animique labores facilitate & remiſſione temperare, & poſt res ſerias nonnihil ludis dare: quodque illa naturæ ſenſuumque blandimenta non more Stoicorum omnino reſpueret, ſed vt in odoribus vnguentorum moderatiores commendantur, nec placet guſtui nimia dulcitudo; ſic ille in rerum iucundarum varietate, aliqua quidem voluptate frueretur, ſed minùs affectato & rariori condimento. Ab hoc igitur otio honeſto, & laborum temperamento, poſtero die curis omnibus & cogitationibus ad Remp. reuocatis, de qua tamen vel in mediis ludis ſolicitus eſſe non deſijt, ad militaris ærarij vires confirmandas, per negociatores operam dedit, vt ſtipendiorum ſolutione tumultum militum quorundam comprimeret. Inde Bruxellam Idibus Iuliis nauigio profectus, ſumma rerum feliciter gerendarum exſpectatione omnium animos mirificè erexit: Quibus vlterius deſcribendis operam meam libenter addicerem, niſi me ingenij mei tenuitas, & argumenti amplitudo deterrerent, ne quid de illius dignitate imminuerem. Iuſtum enim metum vel diſertis ſcriptoribus incutiunt ea, quæ ſpem omnem amplificandi ſua magnitudine & ſplendore ſuſtulerunt.

Sub digreſſum Archiducis in mandatis recepit Antuerpiæ Senatus, omnium ſymbolorum, inſcriptionum, & emblematum, in arcubus, pegmatis, aliiſque ſpectaculis exhibitorum deſcriptionem. Quæ vt in manus ſuæ Celſitudinis accuratè & exquiſitè facta perueniret, vniuerſus apparatus in magnum volumen depictus redigitur, ſeruatâ menſuræ diligenter ſymmetriâ, & colorum venuſtate. vt picturam intuentes nihil inuenirent archetypo diſſimile, niſi aurum & argentum ex arte inductum. Singulas imagines ſingulæ paginæ explicabant, tam ſcitâ manu ſcriptæ, vt ab opera typographica difficulter diſcerneres. Libri latitudo ſiue chartæ, quam Imperialem vocant, duobus pedibus conſtabat, altitudo duobus cum triente. Inuolucrum holoſericum erat acu pictum eleganter, & auro perquàm ſplendidè elaboratum, cum inſignibus Archiducis ſerto laureo incluſis in fronte anteriori, ciuitatis Antuerpiæ in poſteriori. Deauratis quinetiam libri crepidinibus pictor floſculos ſuperinduxerat, ne operis vllus angulus elegantiâ vacaret. Hoc munus magiſtratus etiam verbis ornarat, & aſſcripta hac oratiuncula:

SERENISSIMO PRINCIPI ERNESTO AVSTRIÆ ARCHIDVCI, DVCI BVRGVNDIÆ, &c. COMITI HABSPVRGI, AVREI VELLERIS EQVITI, BELGICIS PROVINCIIS A REGIA MAIESTATE CATHOLICA PRÆFECTO

S. P. Q. A.

SALVTEM OPTAT ET FELICITATEM.

Si Antuerpienſis populi vota, ſtudia, voluntates, Sereniſſime Princeps, quibus tuam Celſitudinem decimo octauo Calendas Iulias primùm vidit & excepit, deſcribere quiſquam vellet, & ſi vellet poſſet, non vnius vel ingentis voluminis magnitudine ſe oratio contineret. Neque pictor vel cælator artificio effingeret, aut opere perficeret pulcherrimum triumphum, quem in omnium oculis eo ipſo die & pectoribus egiſti, cùm in vrbis ingreſſu tanto tui deſiderio, tuarumque virtutum admiratione ciuium animos compleuiſti, vt quiſque maiorem gratulationis apparatum cogitando informaret, acclamando decerneret, nec vllo officij genere, pro tua amplitudine, votis ſuis ſatisfaceret. Etenim cùm omnes intenti in te ora atque oculos conuertiſſent, in illam continuò cogitationem inciderunt, vt ſe coram intueri iam tum arbitrarentur Reip. formam in melius commutatam, & antiquum Belgij ſtatum, quem ex tuo aduentu optatiſſimo exſpectabant. Atque iis animi ſenſibus eò ſuauiùs blandiebatur futura felicitas, quò ſuperiorum & præſentium temporum difficultas & triſtitia illis propiùs & acerbiùs in memoriam incurrebat. Quantò autem illam ſpem, quam à primo ſuſcepti imperij tui nuncio iamdudum conceperant, effectui te præſente viciniorem

ciniorem collocabant, tantò cultus & honoris elegantiâ atque copiâ digniorem æſtimabant. Præſtitit tamen quod potuit Reſpublica, & in ærarij ſui anguſtijs, & attenuatis depreſſiſque priuatorum facultatibus, ſiqua ratio dignitatis aut ſplendoris fuit habita, ſe hoc vno teſtimonio fidem Regiæ Maieſtati, deditum tuæ Celſitudini obſequium, vniuerſæ verò domui Auſtriacæ obſeruantiam, probaſſe tibi exiſtimat; ac iuſtiſſimi triumphi quoddam ſpecimen dediſſe, qui pacatâ prouinciâ, integriſque fortunis, quas nemo hoc bello certas habet, pro diuino quo Remp. afficies beneficio, iam nunc deſtinatur ad gloriam tuæ Celſitudinis ſempiternam. Quæ dum vtrinque fiunt, dum præclari tui conatus benè merendo progrediuntur, nobis autem curæ eſt, maximos tibi honores ad gratiam referendam architectari & fabricari, ſolennem illius diei, quo primùm hanc vrbem ingreſſus es, apparatum, deſcribendum & edendum Senatus idem cenſuit, ne pompæ triumphalis auſpicata primordia, temporis futuri longinquitas obliteret, neque vlla ſit vnquam tam ſurda poſteritas, quæ clamores noſtros in aduentus tui applauſu & lætitia excitatos non exaudiat. Interea dum ſpectacula, triumphales illi arcus, ludi atque pegmata in æs inciduntur, & typis excuditur illorum deſcriptio, hoc opus manuſcriptum & coloribus inductum, velut quoddam αὐτόγραφον præmittit Antuerpia, pari mentis affectu, quo ea, quæ hoc libro continentur, exhibuit; quæ tuæ Celſitudini eò magis placuiſſe, & honoris illa officia fuiſſe grata iudicabit, quò minus hoc munuſculum qualecunque diſplicebit.

FINIS.





LVDI EQVESTR



APPARATISSIMI.

AD LECTOREM.



ABES *hoc volumine, Lector beneuole, opuscula quædam nostra, variæ, vt vides, materiæ & disciplinæ: eaque de causa æquiori te animo & benigniori has operas subseciuas, si minùs probaturum, saltem æstimaturum lecturumque confidimus, & de censoria seueritate nonnihil remissurum. Quamuis enim negare nec possim nec velim, quin omnia tractari accuratiùs potuerint, & limari politiùs; In huiusmodi tamen scriptionis instituto, curisque perfunctorijs, quas rebus forensibus difficulter eripuimus, si quisquam maiorem elegantiam desiderat aut perfectionem, is videtur ignorare hæc eodem consilio conscripta fuisse, quo fuerunt exhibita. Nam decreuit Senatus, incisis in æs impensis Reip. apparatus imaginibus, non ad exteros modò qui gratulationi nõ interfuerunt, sed etiam ad posteros memoriam transmittere; vt quam spectatores ceperũt voluptatem, eandem quoq. lectores consequantur; & sicut horum votis semel iterumque videndo satisfactum est, ita illi euoluendo & semel hæc legendo cupiditatem expleant. In rebus æstimandis non semper necessitas & vtilitas spectatur, sed multa adornatum, quamuis citò vanescentem, multa ad delicias momentaneas comparantur. Atque omnia improbare, quibus sensus humani pauculis horis oblectantur, & honestè detinentur, non est hominis nisi sensu communi carentis; qui eádem ratione in hoc publico apparatu desiderare potuisset, pro theatris & arcubus materiatis, lapidea vel marmorea. Hæc dico vel respondeo quibusdam delicati fastidij hominibus, qui de scriptis & laboribus alienis ita iudicant, vt nihil admittant, nisi ex eo genere, quod* διδασκαλίαν *quandam, vt versetur inter manus, habeat; reliqua aspernantur, vel vt hortos Adonidis diebus paucis vernantes, huiusmodi scripta dicunt semel visa placuisse. Nihil amplius vel ab illis, vel à quoquam hic requirimus. Sed vt spectatores in magnifico apparatu, licet temporario, Reip. in colendis Principibus studiosæ officium collaudarunt; ita nostram lectores in hoc opere subitario siue tumultuario, diligentiam, ad alios, qui melius hoc præstarent, tantummodò excitandos, beneuolam amplectantur. Ceterùm quæ de Belgij principatu præfiximus, proœmij loco habeas; ea enim mente Principes præfectosque prouinciæ recensuimus, vt serie quàm maximè possemus continuâ ad Ernesti Archiducis præfecturam veniremus. Quam quidem rem etsi arduam esse, & ocio liberiori, librorũ supellectile instructiori, & diuturniori lectione indigere animaduerteremus, aggressi tamen sumus non tam perficiendi spe, quàm experiendi voluntate: Quam sua breuitate putamus eò minùs tibi displicituram, quò gratior legenti & vtilior foret rerum Belgicarum accurata descriptio: vt quicquid apud omnes historicos & auctores de Belgis reperitur, per annales digestum ad manum haberemus; neque tantùm sciremus, quis prisco, vel medio, vel posteriori æuo (quod vnum nos attigimus) hos populos vnquam rexit; sed à gentis origine res belli togæque, terra marique gestas, sacras & profanas; harum prouinciarum & imperij incrementa, occasus, vicissitudines; motuum externorum & ciuilium caussas, consilia, euentus; situm etiam regionis, & distinctos limites; nomina item populorum, portuum, fluuiorum, vrbium, opidorum antiqua, mutata, & exstincta vel deleta, scriptis cum delectu omnibus excussis, collatis, conciliatis, explosisque fabulis, nostræ quoque tempestatis facta memorabilia, historica fide conscripta legeremus. Hoc ab illis exspectamus qui cùm se totos in literis abdiderunt, in omnium munerum vacatione ab eiusmodi labore excusare se non possunt; quin, cùm nos, quorum animus, industria, voluntas, aures & domus semper omnibus patent, in publicis priuatisque officijs implicati, constrictique tenemur; illi suas vigilias & solicitudines, quæ alijs nõ deseruiunt, præsto sunt nemini, ad communem fructum adferant, & patriæ ornamenta in aspectum eius, & in lucem proferant: Vel si à scribendo cessare se negant, ne scripta sua celent, quod esse intemperantis M. Varro dicebat: vel dum ea occultant, & in castigatione ætatem omnem agunt, temporales aliorum commentationes, quæ moram illam non ferunt, ea lege admittant, vt si qua obelisco notanda videbuntur, sit & locus asterisco. Reliqua enim non minùs grata fore speramus, si quædam non placebunt: Sed vt in re metallica, tantum præstat qui purgat, quàm qui è terra egerit; ita purum putumque cum scoria proijcere, non est hominis frugi. Itaque animaduersio cum discrimine aliquo, non cum stomacho fiat, vt sit* νουθετική *potiùs, quàm* ἐλεγκτική, *& cohortatio magis quàm contemptus, qui omnes à similibus conatibus deterreret. Plus in corrigendo beneuolentia quàm seueritas valet, plus charitas, quàm potestas vt est in Decret. distinct.* XLV.

Sic correcta magis quàm condemnata vocabo,
Apponet docti quæ mihi lima viri.
Interea arbitrij subiturus pondera tanti,
Optabo vt placeam, sin minùs, vt taceam.

Vt in eodem sensu cecinit Ausonius. Ceterorum verò Criticorum vulgus, morbo animi quodã non ratione iudicantium, censuramq; gerentium sine Musarum suffragio, earum adytis explodimus. Quoties enim illi ab omni disciplina, quam ἐγκύκλιον *vocant, auersi & alieni, in sanctius hoc tribunal irrumpunt (*ἡ γὰρ ἀμαθία θράσος φέρει*) & si qua non intelligunt, carpunt vel condemnãt; ab eorum sententia, vt à nõ iudice lata, appellare non opus est. Imò verò impunius ea, quorum sunt ignari, fastidiunt improbantq; quod vel laudari ab illis, argumentum sit artis minus absolutæ; ipsisq; approbantibus labeculam suis scriptis aspergi auctores putent, & illorum in numero penè malint esse, qui ab his vituperantur. Enimuerò*

non me vt miretur turba laboro.

Vt est apud Lyricum, &

an crucier, quòd
Vellicet absentem Demetrius, an quod ineptus
Fannius Hermogenis lædat conuiua Tigelli?

Porrò carmen Panegyricum, licet morte Archiducis ἕωλον *videatur, supprimere noluimus, nec orationem funebrem, nostræ erga Principem viuum defunctumque obseruantiæ monimenta.*

Sed hæc, candide lector, ad vacuam paginam explendam sufficiant; vt intelligas nihil aliud à nobis exspectari, quàm vt conatum probes, eumque animi tui æquitate exstimules ad maiora. Vale.

PANEGYRICVS IN SERENISSIMI PRINCIPIS ERNESTI, AVSTRIÆ ARCHIDVCIS, AVREI VELLERIS EQVITIS, SVSCEPTO A REGIA Maiestate Catholica Belgicarum ditionum imperio, in easdem prouincias aduentum omnium votis exoptatum.



Mense Ianuario Anni cIↄ. Iↄ. xciv. Archidux Ernestus prouinciam ingressus est.

AM *noua mutatis orditur secula rebus*
Janus, & exactis redeuntem mensibus annum
Auspicio meliore creat; iam clarior exit
Phœbus, & astriferum splendentior occupat orbem:
Lætior & geminas inuertit Aquarius vrnas,
Quem supra volucres pandens Jouis armiger alas
Plaudit, in aduersum defixo lumine solem.
Quid subiti caussæ rear, ô Natura, sereni?
An positis belli signis sua limina bifrons
Claudere numen auet, pacémque reducere mundo?
An Latiæ venient aquilâ comitante secures
Rursus, & annales Romano Consule fasti
Signabunt primas veteri de more Calendas?
Musa refer, plausúsque noui da noscere caussas:
Vel tu Cæsareo diuûm de sanguine vati
Hoc munus concede tuo, dum tangis habenas
Jmperij, & curis animum grauioribus aptas
Jntentus, sternisq; viam quâ gloria ducet
Te factis, Erneste, tuis, dum laurea fronti
Nectitur, æternique tibi conduntur honores.
Nam variam se nostra tibi prouincia laudis
Dat segetem, tua lætitiæ præsentia nobis
Materiem, te nostra sibi fiducia constat
Obside, quod magno regimen tradente Philippo
Suscipias: Hinc ille nitor præsagus, & æther
Venturam fausto prænunciat omine pacem,
Læta quod Austriaci sumant exordia fasces.
Sed mihi virtutum præconia vera tuarum
Tentanti, & primo laxanti carbasa vento,
Laus meritis, Dux magne, suis blanditur, at horror
Æquoris insoliti, sinuosáque vela morantur
Attonitum: Ceu cum pelagi nouus hospes amœnis
Conscendit puppim Zephyris, dum murmura pontus
Nulla ciet, placidáque silent statione rudentes;
Gaudet aquis, facilésque vias miratur, at altum
Vt tenet, obducto vanescere litora cœlo
Prospicit, & fremitus vndarum, nescius auræ

Æquoreæ,

Æquoreæ, timet horrisonos, cursúsque marini
Pœnitet, & seris inclamat numina votis:
Sic tua me virtus inuitat, & erigit omnem
Spes animum, grauitate sua sed terret eundem
Austriacum decus, & venturæ copia laudis
Maior, & exiles suspendunt cœpta Camœnæ.
Aggrediar tamen, & secura sequentibus Austris
Vela dabo, fluctus te promittente secundos,
Remigióque tuæ ferar imperterritus auræ.
Maximus Austriaca diuûm de gente Philippus
Gesserat vt magnos terráque maríque labores,
Post celebres quondam Gallorum clade triumphos,
Attritasq; Ducis vario certamine vires
Ismarij, post imperium tot gentibus auctum,
Firmatúmque opibus, seu quà contingit Eoos
Seu Thetis occiduos terrarum circuit orbes,
Post operum moles tantorum, & bella per omnem
Ætatem positis feliciter acta trophæis;
Jam vitæ properare diem vergentibus annis
Jn senium, & sacro maturos vertice canos
Sensit, & à rebus mentem reuocauit agendis:
Sidera sola placent, cæloq; affinis origo,
Hanc repetit, voluens animo cælestia tantum:
Vt quæ gesta DEO *fuit* ADIVTORE *potestas,*
Rursus ad auctorem delata feratur eundem;
Huic fasces dicat imperij, sceptrumq; datori
Reddit agens grates, Dominumq; amplexus inhæret.
Tum de legitimo ditionum hærede suarum
Sollicitus, nato regnum vitamq; Philippo
Jncolumem, titulisq; aptam regalibus orat.
Hæc spes vna patris, votorum hæc summa, superstes
Cernat vt à prima natum tractare iuuenta
Jmperium, tenerisq; vices & frena lacertis
Admoueat, populos olim domitura feroces.
Sed nondum validis humeris, oneríque ferendo
Principis imparibus, geminos de sanguine fratres
Deligit augusto, & rerum committit habenas:
Albertum (qui purpurei collega Senatus
Rexerat æquoreas Hispani limitis oras,
Quâ fluit & salsis aurum Tagus abluit vndis)
Dat nato comitem, tantæ moderamina molis
Vt subeant, studijsq; regant communibus ambo.
Tum fractis animo Belgarum rebus eodem
Consulit, & curam reparandis destinat omnem
Ernesto, natumq; vocat, dehinc talia fatur:
Jnclinare meam bissena ad lustra senectam
Nate vides, dum tu mundi spes altera surgis;
Me tranquilla decent, & sedem fata quietam

Affectare

Affectare iubent, actisq́; laboribus ætas
Imponit prouecta modum, te postulat orbis,
Te populi, te sceptra vocant, oriensq́; cadénsque
Phœbus, & igniferi subdent se legibus axes
Me cedente tuis; primi sed flosculus æui
Pondera ferre nequit, nec adhuc est viribus æquum
Inualidis totam regnorum imponere molem.
Sed tibi Cæsarea consanguinitate propinquos
Albertum, Ernestumq́; dabo, fastigia tecum
Qui teneant, laterique tuo societur vt alter
Quem Latius commendat apex, Romanáque velat
Infula, fatidicas versantem cardine sortes.
Ille vices curásque tuas ceu fidus Achates
Suscipiet, donec plenis robustior annis
Ipse gubernaclo subeas, mundumq́; magister
Firmata ceruice feras, téque ille Philippi
Hæredem & fidei cum nomine semper eundem
Sentiat, & numero tantum differre secundo.
At germanus opem Belgis feret alter, & armis,
Aut graue perpetuo componet fœdere bellum.
His velut Herculeis stabit librata columnis
Machina, nec dubijs errabit signifer astris
Circulus, Austriaca sub gente nec ordine verso
Turbabit solitum nouitas secura tenorem.
Hæc non grata minùs, quàm conuenientia regnis
Consilia in tanto bellorum turbine cernis.
Rectorémque suum tempestas Gallica poscit:
Admonet & nostris vicina Britannia Belgis
Quo sit opus ductore, viâ qui dirigat æquâ
Vectorem auersum, & fluitantia frena resumat;
Præcipitésque metu nostrísque coërceat hostes
Auspicijs, qui subiectos sperare salutem
In scopulis iubeat medijs, ventósque furorem
Ponere, quo tumidæ sileant veniente procellæ,
Vndarum & reliqui pulsus fluctusq́; residant.
Vt pacata tibi cedat Respublica, nulla
Naufragium factura die: tua cœpta secundet
Sic Deus, vt multos regnes feliciter annos.
Hæc genitor, qui dum cælo se reddere differt,
Omnia plena sui primum vult esse laboris
Tempora, nec vacuâ molitur sceptra senectâ.
Securus non ante sui, quàm tramite recto
Hæredis consistat iter post terga sequentis;
Ne careant regni post vltima fata perito
Successore vices: hinc artibus instruit illum
Imperij, dum vita manet: quódque abstulit ætas
Roboris annorum numero, vel deficit illi,
Germani solidis supplebunt viribus ambo.

O Felix

Felix iudicij Princeps, vestigia magnæ
Indolis à prima cupiens formare iuuenta,
Fratribus & natum sociis rerúmque magistris
Reddere consortem sibi maiestatis, vt eius
Virtutes, ceu vere nouo, cum robore crescant!
Nunc omnes auferte metus, deponite curas
Pectora Christiadûm, coniunctas cernite vires,
Vnanimésque Duces, æquali sorte labores
Cernite diuisos; genitor grandæuus ab ipso
Vertice regnorum communi prospicit orbi,
Omnibus & nutu partitur fata benigno,
Sontibus infensus, bellis dat læta gerendis
Auspicia, aut pacto iungendis fœdere dextris,
Præmia pro meritis reddit, pro tempore leges
Condit, & humanos inuitat ad optima sensus.
Sic natum docet imperium, qui se quoque regno
Præparat, exemplo dans mollia iussa paterno;
Legatis responsa dare, & mandata vicissim
Discit, & orantûm consuescit vocibus aures.
At populis præcepta dabunt, effectáque reddent
Heroes gemini, mundi quæcunque saluti
Expedient, superíque probant & vterque Phil[...]
Quattuor ergò virûm sensu firmabitur vno
Consilium, mens vna suo ceu pondera centro
Excipiet, varias at habebunt singula vires.
Haud secus ac plures dum plura negocia dextræ
Conficiunt, tum feruet opus, studiumq; laboris
Crescit, & in magnos rerum cumulatur aceruos.
His ita conceptis placuit sententia nato,
Hanc probat, & dictis genitorem affatur amicis;
Non, pater, arbitrio locus est imbellibus annis,
Nam mandare tibi, mihi iussa capessere fas est.
Cedant cuncta tibi, solus tu congrua mundo
Scire potes, nam quis longo prudentior vsu,
Quis melior, Regésque inter felicior omnes?
Iudicio quis stare tuo, aut parere recuset?
Amplector mandata lubens, an gratius vllum est
Cuíque magis rerum cupiam committere summam,
Cæsarea quàm stirpe genus, fratrésque parentis
Defunctæ? cuius vita quàm dignior ætas!
(Heu lacrymis ignosce piis) quis carior illis
Principibus, regníque loco quis dignior illo est?
Alberti perspecta fides, constantia, virtus,
Quum Tartessiacas æquo moderamine gentes
Rexit, & aduersus prædonem tuta Britannum
Litora seruauit, quem vertere terga coëgit,
Et Rutupina salo deflectere vela remenso.
Præclarus meritis at auunculus alter iisdem,

Factáque

Factaq́ Pannonijs in finibus inclyta gessit
Ductorem Odrysium contra, rabiémque tyranni
Indomitam, fuditque suos & Numinis hostes.
Hunc etiam votis, hunc Belgica postulat vnum
Supplicibus, præterq́ alios succedere magno
Optat Alexandro, cælo se gloria cuius
Tollit, & insignes ostentat Roma triumphos.
Quas vrbes captas bello, populíque furores
Audiui puer oppressos, narrantis ab ore
Pendulus, & quoties, genitor, gratissima vidi
Munera, victrices quas miserat ille coronas!
Tum laurus mihi ludus erat, sed quanta recenter
Agmina Sequanicas duxit bellator in oras!
Magnam dira fames vrbem, tristísque premebat
Obsidio, nullamq́ moram ieiunia plebis
Imperiosa dabant, numero finita nec vllo
Corpora crudelis leti genus hausit egestas:
Cetera depastis macie gens ossa trahebat
Visceribus, vix effœtis hærentia neruis;
Venarum exangues turpi squalore meatus
Arebant, omnísque genas & lumina succus
Fugerat, horrendi formam referentia monstri.
Iámque aderant extrema, cibus fit gramen, & herba
In paucos alimenta dies, vrbisque propinquat
Excidium, nisi delectis cum millibus heros
Longum iter emensus, mediósque illatus in hostes,
Gallica dispositis turbasset castra maniplis.
Nec minor est simili post hæc virtute redempto
Gloria Rothomago, cum Sequana ponte parato
Victorem excepit, tumidúmque exercitus hostem
Lusit, & incolumis patrias remeauit ad oras.
Rursus at in Gallos Farnesius arma capessit
Tertia, quum magnos producere longius actus
Desiit, exuto cælestem corpore palmam
Dum capit, è medijs sublatus in æthera castris.
Hìc ego sidereos inter mortalia ciues
Facta reor curare Ducem, votísque futuro
Numina sollicitum de successore precari:
Ne partum quodcunque suis virtutibus olim
Accessit, contemnat atrox, aut vindicet hostis.
Sic ait, & magni sequitur suffragia patris
Tertius exemplar genitoris auíque Philippus.
Nec regina minus monitis Isabella paternis
Obsequitur germana, sui præstantia sexus,
Et diuos genitura, probat censétque tenendum
Constituit quodcunque parens, animóque benignò
Prosequitur geminos virgo ter maxima fratres.
Quis nunc Oebalij sobolem iactare Tonantis

Audeat, & nautis felicia sidera partus
Laudet Amyclaos? tales non Sparta gemellos
Edidit, ornandis quales Germania regnis
Obtulit, Hesperiaq; duces velut astra carinæ.
Cæsareæ sunt illa domus, sunt lumina gentis
Austriacæ, qua nil terris augustius vllis,
Nil minus est splendoris egens. Non imputat illis
Hunc fortuna gradum, quo per se dignus vterque est.
Non fauor hunc populique dedit consensus honorem;
Vlla repentino nec gratia reddere magnos
Euentu potuit, nec calculus arbiter auræ:
Nascendo meruere decus, primóque sub ortu
Felices, partúmque domi sumpsere, quod vlli
Non datur in tota per mille pericula vita.
Est res magna suo prouectum munere cunctos
Maxima mortales inter fastigia posse
Scandere, sublimémque soli natalis honore,
Fortunæ propriis excedere culmina factis,
Nec modò supremum sperare, at habere cacumen.
Alterius nec laudis eget gens Austria, nulli
Concedens animosa locum, gens siqua secundum,
Nulla parem capiet meritis, nec origine stirpis.
Ex hac gente virum plectro celebrabimus vnum
Austriacæ, licet vnus amor debetur in omnes,
Vnus honos: verùm vt superi sunt laude colendi
Assidua, & sacris venerandi in sedibus omnes,
Dona tamen diuûm solennia reddimus vni
Interdum, votisque vnum placamus, & aram
Cuique suam struimus, propriósque adolemus honores:
Haud alia in laudes citharam ratione Camœna
Ernesti sumpsere meæ, præsentia cuius
Hoc monet, & stimulos subdunt benefacta recentes
Imperio sperata nouo, qui Belgica sumpsit
Frena manu, trepidos inter suscepta tumultus,
Non alio tractanda Duci, quàm gentis alumno
Austriacæ; velut Herculeo de sanguine Regi,
Non alio, sua sceptra solent conferre Lacones.
Sic Belgis, Erneste, præes, quo munere dignum
Imperij, tantóque parem Deus ipse labori
Censuit, arbitrio cuius paretis vterque;
Rex legit ipse Ducem, tu suscipis ardua rerum,
Non aptum magis ille potest huc mittere, nec tu
Materiem magis insignis contingere palmæ.
Rex quoque consilium, dum te legit, omine firmat,
Lumine Pannonias animi dum respicit vrbes,
Auspiciis & gesta tuis cùm bella recenset.
Sic nutu non ille suo te legit, at illud
Iudicium virtutis erat; nam partibus orbis

Omnibus

Omnibus excußis, omnes examine vincis,
Atque Duces superas meritis, animóque legentis.
Nec Regis modò consilium te Belgica fecit
Sumere lora manu, ratio sed publica suasit,
Et tua te pietas commouit, amórque, fidésque,
Et belli momenta grauis, qui conscius esses
Quanta forent orbi pacatis commoda Belgis.
Huc populi studium conceptáque vota fauentis
Accedunt, omnes te delegêre, fuítque
Assensum, non te præsente, sed ante probarunt
Quàm fieret; te cuncta palam suffragia vulgi
Signarunt oculis, & præuenêre legentis
Arbitrium, tibi detulerant quodcunque Philippus
Obtulit, ille dedit, dandum quod vidimus omnes.
Nam vexata modis cùm Belgica nostra iaceret
Indignis, iam fracta malis, & roboris expers,
Exanimísque metu, circumuallantibus illam
Hostibus, effugiíque locum vix dantibus vllum;
Omnibus afflictis, primóque minantibus ictu
Interitum, vasti quæsitum est orbis in omni
Concilio, quis fata manu titubantia rector
Susciperet, qui nutantem virtute ruinam
Fulciat, extinguatq; faces, & ciuibus vrbes
Reddat, opésque suas dominis, agrósque colonis;
Quo veniente caput, quo defendente resurgens
Erigat, infestas metuat nec Belgica flammas:
Omnes te populi, suffragia cuncta, tribúsque,
Centuriæq; legunt, tantísque parentibus ortum
Declarat sibi quisque Ducem, Regíque propinquum
Expetit, & dandis maturos legibus annos,
Ciuilísque rei studiis, vsuq; peritum
Militiæ, morésque tuos curásque requirit.
Hoc omnes tamen vnanimi candore queruntur,
Imperium non ante datum, tibi gloria tantò
Ocyor, & nobis properassent fata salutis.
Iamq; ad Cæsaream Regis decreta Viennam
Perueniunt, missusq; Duci legatus, & infit:
Magne Ducum, fatis hîc te poscentibus adsum,
Hesperij mandata ferens gratißima Regis:
Ille quiescendi nactus tranquilla senectæ
Tempora, secessumq; petens labentibus annis,
Tradere surgenti statuit sua regna Philippo,
Et curas dum vita manet; sed viribus impar
Natus, & inualida necdum ceruice labori
Sufficiens, opus auxilio, rerúmque magistro
Hanc molem subiturus habet, ne machina nutet,
Et iuuenis sacros humeros sua pondera lædant.
Ad quæ cognatos delegit munera fratres,

Distinxitq; vices æqua ratione, dedítque
Albertum nato Comitem, tibi Belgica cessit;
Quam tibi prima sui quondam ceu pignora sceptri
Commendat, quâ nulla fuit ditionis auitæ
Carior, aut meritis prouincia gratior vllis.
Hanc, Erneste, foue, & blanda complectere mente.
Dixerat; ille graui defixus lumina vultu
Annuit, & paucis respondet talia dictis:
Cognatus quæcunque iubet me nulla videbit
Detrectare dies, nec me subducere bello
Difficili, quod ter decimus non terminat annus.
Muneris oblati felix sequar omen, & ibo
Quò me fata vocant, armis pacare furores
Experiar, seu pace feros lenire tumultus,
Auspicijs opibusq; tuis, cognate, virûmq;
Robore delecto: Nec me Germania bello
Detineat turbata suo, tu maxime Cæsar,
Sufficis imperio solus, fratrésque laborem
Suscipient reliqui, gentísque potentia nostræ
Viribus immensum flectet communibus orbem.
Tum nutu placido, & multa grauitate seuerus
Cæsar ait: Diuûm monitis auctore Philippo
Ad magnas, germane, vices accede vocatus,
Cæsareæ securus opis, Regísque potentis
Imperij; reseratur iter virtutis vtrumque
Iam tibi, sublatis hosti concurrere signis,
Victricésque referre aquilas, & Marte Quirinum
Bellator præstare potes, vel legibus vti
Pacificis, facilésque Numæ tractare labores.
Hoc magis Inferior votis Germania poscit
Omnibus, & longo certamine fessa quietem
Optat, & affini motu sine cæde subacto,
Rursus ad antiquum demissa mente reuerti
Obsequium, nullisque fidem violare diebus.
Talibus Augustus: Tum sese accingit, itérque
Apparat Ernestus, comites legit, atque ministros
Instruit. Extemplo sublimibus opida linquit
Mœnibus, Austriadûmque lares: pars tristis euntem
Prosequitur, nectíque moras in limine mallet,
Et patriæ seruare virum, pars omine dextro
Gaudet abire Ducem, factis maiora petentem
Præmia, communésque sibi cum Principe laudes
Iam numerat, reducésque fouet spes ampla triumphos.
Obuius ante alios solitis haud turbidus vndis
Ister adest, & fronde caput redimitus adorat
Ernestum, rapidósque iubet consistere fluctus,
Donec in aduersam traiecto gurgite ripam
Exposuit venientem, & mollibus intulit herbis.

Jnde per aërias ſuperatis rupibus Alpes
Tendenti, nemoroſa fuit ſubmittere montes
Rhætia viſa ſuos, & ſternere culmen in æquam
Planitiem, facilésque Duci concedere greſſus.
Augetur numerus comitum, populíque caterua
Jn medias effuſa vias, fauſtóque ſalutat
Alite pergentem, primíſque à fontibus Albim
Cæſarei ſtudio ingenti liquêre Bohemi,
Jnuia quærendis penetrantes ſaxa metallis.
Tranſit & Hercyniæ iam tuta ſilentia ſiluæ,
Norica regna petens, & flauos crine Süeuos
Præteriens, Mœnum dextrâ, Nicrúmque ſiniſtrâ
Linquit, & ad magni diuertit flumina Rheni.
Occurrit mirata nouos Germania faſces,
Grataturq́, vicem populi miſerata propinqui,
Belgarumq́, ſibi communia damna repelli
Non alia ſcit poſſe manu: fauſtúmque precatur
Rhenus iter; meliora tuis, ait, omnia cœptis
Dent ſuperi, Fleui pandantur vt oſtia Belgis
Germaníſque meis, at perdat in æquore claſſem
Hoſtis, vt omnigenæ repetant commercia gentes.
Hæc vbi dicta, vado compellat Naiades vdo,
Et fluctus ſedare iubet, dum traijcit amnem
Erneſtus, lembúmque manu propellit euntem.
Ventum erat ad ſedes populis vbi mœnia Treuir
Fortibus antiquæ ſublimia condidit vrbis;
Quam rigat & fluuio præterlabente Moſella
Muneribus cumulat varijs, qui margine Belgas
Terminat, & vitreis interluit arua fluentis,
Prima Philippeus tetigit quæ Ductor in oris.
Calcatæ quis læta mihi primordia terræ
Commemoret, Ducis aduentu quis ruris amœni
Gaudia, quis preſſa referat tellure nitorem?
Vix, Erneſte, pedis primo veſtigia greſſu
Belgica ſenſit humus, te prata nouella terentem
Nouit, & Auſtriacæ ſurrexit ad oſcula plantæ.
Floribus haud aliter varijs, & mollibus herbis
Ornauit natura ſolum, cùm Jupiter alto
Æthere terrenas deſcendit amator in oras,
Et viridi tellure ſedens amplexibus hæſit
Coniugis, ipſa nouas ſtupuit Saturnia frondes:
Belgica ſic poſitis ſqualoribus arua reſumunt
Erneſto calcante decus, veſtigia circum
Jllius antiquas attollere mœnia turres
Jncipiunt, vrbésque illo veniente renaſci.
Permeat exigua muros Aliſontia ripa
Ingentes, arcémque lauat, quo limite Belgis
Accola Germanus vicináque Gallia differt.

Hæc tranquilla fuit multis prouincia lustris
Ernesti ditione Petri, qui rebus in arctis
Claruit, obsequióque fidem seruauit in omni,
Iam senior, meritísque sui venerabilis æui.
Excipit ille Ducem hospitio, seq; abdicat vltrò
Fascibus imperij, fuerat quibus ante potitus,
Cessit vt ætherias vitâ Parmensis in auras.
Est locus in summo scopulosi vertice montis
Asper & incultus quondam, nunc regia magni
Tecta nitent operis, viuóque palatia saxo.
Hanc molem comes à fundo Mansfeldius imo
Extulit, & secto penetrauit marmore nubes.
Fontibus hic riguo Ductor spatiatur in horto,
Imperijque nouas meditatur pectore curas
Intentus: studio at voluit dum singula magno,
Ecce venit placidùm gradiens pulcherrima virgo,
Diuinum cui forma decus, cui cultus honorem
Regalem addiderat, sociæ quam ponè sequuntur
Ornatu & simili præstantes corpore nymphæ:
Relligio velata comas, & tempore nullo
Infirmanda Fides, comes Obseruantia dextrum
Occupat, atque latus claudit Reuerentia læuum,
Et memor accepti iungit se Gratia facti.
Vt stetit ante Ducem vultu regina benigno,
Purpureas suffusa genas, sic voce profatur:
Illa ego quæ reliquas inter Germania gentes
Inferior, cumulata bonis & nomine quondam
Clara fui, nunc ornatu spoliata priori
Infelix, facibus belli consumpta nefandis,
Attritas, Erneste, mei tibi dedere supplex
Relliquias venio regni, mandante Philippo,
Et, Dux magne, meam tibi committente salutem.
Non fati me præteriti, non ante malorum
Nunc meminisse iuuat, durósque referre labores;
Scis, Princeps, scis ipse quibus iactata procellis
Iamdudum, quantísque fui suppressa ruinis,
Et quàm multa meis arsere incendia tectis.
Nunc aduersa tuo vanescunt fata sereno,
Incipio nunc læta meos attollere vultus,
Atque renascentis primordia sumere vitæ,
Aduentu recreata tuo; nec gratior vllus
Illuxit præsente dies, te cernere coram
Qui dedit, afflictæ solatia certa ferentem.
Quo me ferre moras animo potuisse, tuúmque
Aduentum sperasse putas, cùm credita scirem
Cuncta tibi, Belgásque tuo cessisse labori?
Heu quoties spaciúmque viæ, numerúmque dierum,
Et tempestiuas mens ægra recensuit auras!

Ernestum

Erneſtum nunc Iſter habet, nunc traijcit Alpes
Nubiferas, iam ſæuit hiems, iam purior exit
Phœbus, & ad noſtros propior venit ille penates.
Et quoties votis rumor deluſit anhelam
Sollicitis, cùm fama citos præuerteret Euros
Nuntia, venturúsque die dum crederis omni!
Auſpiciis accede bonis, & collige vindex
Naufragij fragmenta mei, fulcíque ruinam,
Et tectis auerte faces: & me quoque dignam
Finge tibi, quæ cura tuis maioribus olim
Auſtriacis non parua fui, me ſemper amauit
Cæſar, & affectu coluit Germania ſummo.
Quis collata mihi numeret benefacta tuorum?
Virtutem meritis quis laudibus æquet auorum?
Hæc cœptis, Erneſte, tuis hortamina laudis
Addere non opus eſt, qui præſtantiſſima factis
A proprijs exempla petes: Nec Belgica magnum
Efficiet, qui ſumma tenes faſtigia laudum:
Paruus at hic titulis accedet fomes auitis,
Et tua pacatis fulgebit gloria Belgis
Clarior, aſtriferi condens ſe margine cæli.
Da veniam tamen, & facili præconia vultu
Me ſine decantare tibi, quæ debita ſoli
Vnus habes, aliis & conuenientia nullis.
Nec meritis ſic te propriis ornamus, vt vlli
Quadret idem: nam quos generis ſplendore vel æquas,
Vel ſuperas, magno diſcrimine tempus eoſdem
Vincit, & ad palmam quærendam oblata facultas.
Hæc facit vt nequeat laus importuna videri
Noſtra, vel in ſummis tantum conſidere labris,
Blanditiáſque leues virtus animoſa recuſat,
Nec quærit ſermonis opem: nam dicere de te
Nos ærumna iubet, fore quod confidimus ambo,
In trepidis ego ſeruari, tu ferre ſalutem
Rebus, & alternis connectere gaudia votis.
Quæ tantò ſunt grata magis; quod fingere tempus
Non ſinat, & renuat ſimulatos gloria plauſus,
Et virtus tua ſyncera ſibi conſcia laudis.
Contigit egregium multis ob plurima nomen
Munera Principibus, bellis hic clarus & armis,
Dedidicit ſed pace Ducem, quem blanda togatum
Sors fouet, indignata ſago fœdauit amictum.
Hic terrore ſui cultum, captauit amorem
Moribus humanis alius, priuatus honorem
Perdidit ille domi, quem publica contulit aura.
Hic generis ſplendore nitens fit turpis, at illum
Nobilitant dotes animi; nec ſingula quiſquam
Solus habet, quem non vitij confinia lædant.

Omnibus

Omnibus at laudum concordia summa tuarum
Emicat in rebus, nec te virtutibus ornat
Diuisis fortuna, dedit collecta, beatos
Singula quæ faciunt, animo nil detrahit æquo
Nobilitas, generi diuina modestia cultum
Addidit, & factis ingentibus vtilis ætas.
Nec mea te moles, vicináque bella mouebunt
Impauidum, crescit duro certamine virtus
Maior in aduersis, tantóque illustrior extat
Gloria, quo maiore fuit quæsita labore.
Corpora perpetuo gaudent cælestia motu,
Æternúmque vigent, actúque agitata perenni
Machina tranquillam renuit victura quietem:
Sic & semideis facilis natura vocatur
Principibus, studio reliqui quodcunque molesto
Aggrediuntur opus. Qualis vertigine mundus
Voluitur aßidua, refluóque impellitur æstu
Oceanus, Solis nequeunt nec stare iugales;
Haud aliter procerum virtus exercita curis
Continuis, sempérque suo redeuntibus orbe
Durat, & officium nunquam defessa remittit.
Omnia velocis perlustrat sideris instar;
Et fouet, & præsens miseris vbicunque vocatum
Numen adest, primasq; tenet clementia partes.
Et tua, magne Ducum, pietas violentior armis
Omnibus, obsequij captos dulcedine Belgas
Non faciet parere modò, at superare iubentem
Coget, & indictas facto præuertere leges.
Gens quoque nunc animos tollens inimica feroces,
Expugnata tuis monitis exempla sequetur
Mollia, pacificas nec detrectabit habenas.
Nec feret æquoreos posthac exosa Britannos,
Diraq; finitimi fugiet contagia Galli.
Nam velut infectis annus cum letifer auris
Incipit exiguo morbos afflare veneno,
Mox vbi se magnam diffudit pestis in vrbem,
Vicinos inuadit agros, cælumq; propinquum
Polluit, & totas incestat funere gentes:
Sic animi traxere luem, vitiumq; medullis
Hæsit, & erroris tetigit præcordia virus
Vicino corrupta malo, flammasq; Megæra
Subdidit, & furias ciuilibus intulit armis,
Docta nouas animare faces, & mobile vulgus
In Reges armare suos; nunc sedibus illa
Tænarijs, imóque redux dat gurgite pœnas.
At freti auxilijs hostes, opibusq; superbi
Femineis, terrore sacri tua iussa sequentur
Imperij, metuéntque aquilas, Martémque Philippi

Te ducto-

Te ductore ferum, Scythicas quem robore turmas
Inuicto fudisse sciunt, hostísque phalanges
Bistonij, populósque suo qui sidere fortes
Tam cælo armantur quàm sumpto ad classica telo.
Et vos qui fluuijs, Bataui, pontóque salutem
Fiditis, & Regem propriis excluditis aruis,
Cingitis aggeribus, captásque opponitis vrbes,
Ne dura ceruice moras producite belli,
Ne vires aquilasq́; suas extendere ductor
Debeat Ernestus, veraq́; cupidine laudis
Ingenium tentare soli, quod suggeret illi
Nobilitas, milésque loci rerúmque peritus
Vestrarum, facilésque vias, vbi cornua tendi
Aptius, & campos acies ducenda per æquos,
Difficilésque aditus, quid classis & aura requirat;
Ernestúmque comes fortuna, & causa sequetur
Iustior, Austriacis virtutibus omnia cedent
Peruia, subsident montes, & flumina cursus
Intercepta ferent aliò, subductáque ventis
Æquora suspenso linquent vada sicca meatu;
Donec ad imperium demissa mente reuersi,
Obsequio mecum vnanimi seruetis eundem
Principe sub facili, viguit quo prisca tenorem
Belgica, nec similis posthac vos implicet error.
Ergo agite, ingeniis submittite signa quietis,
Austriaci non illa Ducis conferre decorum
Est aquilis, tutúmque minus: nec tendere contra
Est opus, aut dubio committere prælia Marti:
Pacem amat armatus, medióque imponere bello
Fœdera Ductor auet, nec de quacunque triumphi
Materiem ratione petit, nec bella veretur,
Nec mouet, inuitúsque suis accingitur armis.
Nec vos officij memores ad prisca reuersos
Iussa, supercilio ceu victos ille superbo
Excipiet, nec fronte reos auersus habebit
Irata, nec vos pretij ceu pignora vilis
Contemnet, titulísque parum regalibus aptos
Credet, at ingenua cum libertate clientes
Esse volet, Belgásque simul complexus amabit,
Restituet vobis Regem, vos ille Philippo.
Agmina sic iunctis coëant ciuilia signis,
Membráque diuisi redeant ceruice sub vna
Corporis, & solitis concrescant viscera neruis:
Possit vt æquales exercitus edere plausus,
Hic operæ studiíque sui benè conscius, ille
Concessa lætus venia: sit gratus vtrique
Exitus, & nullum miscens victoria luctum.
Hinc solidus tibi seruatur, Dux magne, triumphus,

Veráque

Veráque non fuso de sanguine gloria surget.
Nam cedent qui deuinci potuere, dabítque
Vincendum tibi se nemo; sed viribus vltrò
Se dedent armísque tuis. Tum litora reddes
Æquoribus, solitásque suis stationibus vndas.
Securum telluris iter, patefacta recludes
Compita, miscebúntque fide commercia gentes.
Vt quidquid natura sinu ceu prodiga fœto
Extulit, vtendúmq́; dedit mortalibus vsquam,
Orbis idem regione satum videatur in omni.
Tunc agros vrbésque meas, ædésque videbo
Deterso florere situ, non tecta vereri
Interitum, studio fati sed structa perennis
Viuere, séque tuis attollere rursus eodem
Præsidijs animo, lætósque resumere vultus,
Et dominis gaudere suis, quòd libera pandant
Limina, nec famulas intret possessor in ædes.
Sed meritis, Erneste, Lares Geniúmque reuisat,
Et penetrale tuis, sacris vbi sedibus hærens
Fronde coronatos adiungat ad oscula postes,
Et senio longum felici transigat æuum.
Talibus oranti Ductor placidissima nymphæ
Ernestus responsa dedit: Pergrata loquentem
Audiui, quòd, nympha, meum sperasse fideli
Aduentum studio, & votis gaudere potitam
Aspicio; Regi placuit ditionis habenas
Arbitrio deferre meo, Belgásque regendos
Tradere; præteriti nec me discrima belli
Præsentísque latent, sortísque misertus acerbæ
Huc veni laturus opem, finémque labori
Numinis auxilio fretus, vel pace, vel armis
Facturus; sempérque pari tractabere cura
Qua rerum commissus apex, vt recta sequentem
Me videas & ames maiorum exempla meorum.
Sic fatus, iungit dextram, præsagáque firmat
Omina, nec tanto diuellitur obside virgo,
Hæret, & ingenti saliunt præcordia motu
Lætitiæ, roseóque madens inscribitur ori
Limes, & exornat lacrymarum gratia formam,
Commendantq́; suam vultus dispendia causam.
Quis gestus tunc ardor erat, cum stringere dextram
Principis Austriaci fuit Ernestumq́; tueri
Affarique datum! quo prômissore salutis,
Nympha, potes trepidam formidine soluere mentem.
Te quoque pollicitis fac sentiat ille manentem,
Et merito contende pari, seu vince fideli
Obsequio, longamq́; trahat sententia litem
Partibus ambiguis, certet moderata potestas

Hinc

Hinc Ducis, hinc populi ferat obseruantia palmam.
Nec Regis modò Præfectum, te pignus habere
Depositumque puta, quod munere carius omni
Sit tibi, concessa tantùm sed lege frumenti;
Ne repetente suum domino, te crimen abusus
Damnet, & vltrices iniuria prouocet iras.
Postera lux aderat, digressaq; tendit ad oras
Aulica finitimas acies, vbi flumine rupes
Mosa cauat rapido, terrasq; voragine sorbet:
Hic vbi non magnis Sabis rigat arua fluentis,
Fertur & in socium iam viribus auctior amnem.
Eminet arx scopulo, decliui in parte coloni
Martia gens habitant, pandit Florentius vrbem
Obuius, atque Ducem celsa Comes excipit arce.
Inde nemus, Bruxella, tuum transiuit, & vrbi
Austrius hospes adest, quem circumfusa frequenti
Agmine vicinos deduxit turba per agros.
Gens studio ruit vnanimi, miretur vt ipse
Ingentem Ductor numerum, deserta videbat
Qui prius incultis horrescere prædia campis.
Rustica sed pubes confluxerat omnis, vt illum
Cerneret, incolumes armis qui reddere Belgas
Posset, in externas & vertere classica gentes.
Hic vir, hic est, magnis iuuenes clamoribus aiunt,
Bella ferens hosti, pacem vrbibus, ocia ruri.
Iamq; propinquabat portis Ernestus, & eius
Aduentu enituit, quantis suffragia votis
Imperio natura dabat, quantóque serenus
Lumine discussis rutilaret nubibus æther.
Haud aliter prima quàm fulsit origine mundus,
Mutauítque die tenebras; sic Belgicus aër
Ipse fauet cœptis caligine purus ab omni:
Vernat hiems, condítque niues, & temperat auras.
Læta sinum tellus surgentibus explicat herbis,
Ceu partus enixa nouos. Stipante caterua
Ductor adest, vrbísque aditum cingente corona.
Obuia nobilitas omnis, procerumq; Senatus
Ibat, & æquali certat plebs æmula voto
Cum patribus, numeróque fauor maiore videndi
Principis, & vulgi crescit concursibus ardor.
Ingreditur portam Dux optatißimus, albo
Vectus equo, vultum grauitas augusta pererrat,
Lumina maiestas, frontémque, sed omnia fastu
Acta carent, animum produnt externa modestum
Signa, nec humani possunt se condere mores.
Omnis in aspectum populus conuertitur vnum,
Firmauítque oculos, & Principis ore pependit.
Non ætas, non sexus erat, quin gaudia gestu

Publica, seu plausu manuum, seu voce iuuaret.
Enumerant sua fata senes, & temporis acti,
Venturíque fidem rerum præsentibus aptant
Auspiciis, factísque notant meliora futuris
Secula, belligero non distinguenda metallo:
Obsequiúmque vouent pueri crescentibus annis,
Spectatúmque nurus veniunt cum matribus omnes,
Virginibusq; palam, peragunt secura pudoris
Gaudia, feminea paulum grauitate remissa.
Exultat varióque fremit per compita vulgus
Assensu, clamore viæ, collésque resultant:
Ductor iter quacunque facit, nutare videres
Tecta referta viris, densósq; ferentia cœtus
Culmina fautrices populo substernere moles:
Ni faciant, onerata graui, nec viribus æquo
Pondere, præcipitem traherent depressa ruinam.
Muta sed Austriacos omníque carentia sensu
Subiecta ceruice colunt fastigia vultus,
Intenduntq; suum tignis firmantia robur.
Descriptio quorundam spectaculorũ Bruxellæ editorum.
Plaude tuis, Bruxella, bonis, & munere tanti
Hospitis, Austriaco frueris quæ læta triumpho.
Tu quoque Cæsarea referentes numina veste
Cerne viros, bissena tuæ spectacula gentis,
Magne Ducum, quæ constructis Bruxella theatris
Exhibet, & generis seriem studiosa recenset
Austriaci, quod sceptra diu Romana tuetur.
Ut quantis illam meritis, & honoribus illi
Affecêre, minor tua ne clementia tendat
In ciues, animo sed complectatur eodem.
Legibus illa tuis nunc est victura, tibíque
Officium persoluet idem, quod præstitit illis.
Aspice lætitiæ quàm perstrepat illa tumultu,
Quâ veheris, quàm cuncta nitent! quæ carmina Phœbus
Dictat, & eloquium quanta Cyllenius arte
In laudes, Erneste, tuas producit ad vndas
Castalias, quàm læta sonant Heliconis amœni
Plectra iugo, quos Aonio dant vertice cantus
Principis Austriaci celebrantes cœpta sorores!
Parte rogas alia vasto Cyclopes in antro
Quid faciant? non tela Ioui, non fulmina cudunt
Irato, nec Martis opes incudibus augent
Indomiti, solitum ferri mortalibus vsum
Mulciber instaurat, candent fornacibus enses,
Imáque vulnificus telluris viscera mucro
Non posthac humana petet, glebámque recoctus,
Non hominem feriet gladius; date follibus auras
Ernesto veniente, refert. Liquefacta caminis
Æra fluunt, famuli Brontes, Sterópésque facessunt

Sudantis

Sudantis mandata Dei; fremit ictibus antrum
Alternis, iterante vices incude sonoras,
Concinnúmque cient certantia brachia murmur.
Iam propè sublimis fastigia conspicis aulæ,
Hospitio fruitura tuo, rectoribus orbis
Assuetos, Erneste, lares, hæc limina Cæsar
Triuit auus, posuit vestigia sedibus illis
Carolus, hos tenuit postes arásque Philippus,
Cum iurata noui sumpsit primordia regni
Belgarum: nunc te similem virtute penates
Excipiunt, faciles aditus, aurésque daturum
Supplicibus. Properate viri quicunque salutem
Vrbibus, aut proprijs petitis solatia rebus.
Occurret precibus vestris Ernestus, & vltrò
Orantes, quæ vos vrget fortuna? rogabit.
Limen adire sacrum licet, & contingere paßim
Ductorem, laterique potest hærere benigno
Quisquis auet, faríque licet patientis ad aurem
Principis, & finem votis non ante loquentum
Facturi, suus admoneat sermone peracto
Quàm dum quemq; pudor. Nunquam responsa morantur
Admissum, veniens omni dimittitur hora.
Legatúsque fores non obsidet, ostia cunctis
Blanda patent, adituq; ferox non ianitor arcet.
Tanta Ducem pietas, & tanta modestia nostrum
Ornat, & hoc solo censendus nomine maior
Quo melior, varijs animi se dotibus effert.
Omnibus indulget, se iusta petentibus æquum
Præbet & assensu facilem, patiturq; repulsam
Inconcessa rogans, & quæ sperare decorum
Non foret, aut patrijs haud congrua legibus essent.
Promittit quæcunque, dabit, faciétque, nec vnquam
Pœnitet in quenquam meritis certasse, vel vlli
Obstrinxisse fidem, quam seruat, & inserit actis
Omnibus, & nullo temerandam censet in æuo.
Consona mens linguæ est, animo nec dißidet illa,
Vera probat, cunctísque insunt oracula dictis
Certa, nec ambiguo secum pugnantia sensu.
Quis reliquos eius trahat in præconia mores?
Virtutésque viri, laudesq; recenseat omnes?
His capient vitæ iuuenes exempla, senésque
Auspicijs, trahitur studijs à Principe sumptis
Vulgus, & in partem ferimur quamcunque sequaces
Arbitrio rectoris, eget tam moribus orbis
Imperij quàm sæpe metu, censura vocatur
Vita boni ductoris, agit reuerentia cuius
Vt populus vitijs animi se corrigat vltro
Exutis, laudemq; ferat quem pœna manebat.

 Hæc

Hæc ratio fuit Ernesto, præscriptáque recti
Regula propositi, sceptris aptanda gerendis;
Se primùm formare sibi, tum reddere dignum
Imperiis, aliísque sua virtute monendis.
Supplicij terror mentésque exasperat vltrix
Pœna magis, blandè vitâ meliusque iubetur
Exemplis; cùm nil faciat Dux ipse licenter
Qui potuit, nunquam voluit: sic incipit vno
A Duce iudicium, quod deriuatur in omnes,
Vt potius suadere bonum quàm cogere Princeps
Austriacus monitis animi videatur honesti.
Eriget his mentem stimulis accensa iuuentus,
Optabítque sibi quos audiet æmula mores
Laudari, vitáque Ducis meliore probari.
Non iam delitiis census impendia vanis
Euertent, nec luxus opes, rebúsque nouandis
Prodiga mollities aditum non sternet, & aulæ
Pestis semiuiros repetet lasciuia cœtus.
Matronámque boni rara est cui forma pigebit
Haud illo rectore sui, speciésque pudorem
Ornabit, non virgineos effrena libido
Insidijs adimet, nec vi tentabit honores.
Cunctorum probitate sua connubia Princeps
Muniet; hoc veris docuit Babylonius augur
Indiciis, certísque notis signauit aruspex.
Nam cùm prima solo posuit vestigia nostro
Ernestus, Phœbi concepit Aquarius ignes
Lætior, hoc fœtus nascentes sidere castos,
Et sanctos perhibent: Nobis veniente renatis
Ernesto, rediit probitas antiqua, decúsque,
Et thalami correcta fides. Pretióque pudoris
Poscere venales turpis mercator honores
Desinet, & titulos non conferet empta voluptas.
Pellet auaritiam, nec corrumpentia fidas
Dona manus sacro patietur limine quemquam
Ferre, nec imperij commercia fœda ministros
Exercere sinet, nec vendere Principis auram.
Publica non aliquo captabit munera quæstu
Ambitus, at merito tantum virtutis ementur
Præmia, constabit fidei mercede potestas.
Euehet ille bonos, campúsque aperitur honoris
Omnibus, ingenium si paupertate sepultum
Neglectumq́; iacet, si vilis inertia fructum
Præripit, indignóque gradu subuecta potitur,
Conuersa ratione locum mutabit vtrique.
Et Musæ patriam sub Mæcenate reuisent
Austriaco, frontísque decus despecta virebit
Laurus, & Aonij velabit tempora cœtus.

Ipse

Ipse suis reduces Princeps amplexibus artes
Suscipiet, studióque pari præconibus illis
Illius immensum se gloria sparget in orbem.
Sola comes lateri sapientia Principis hæret,
Omnibus hanc adhibet cœptis, hanc purpura vestit
Oebalis, hæc solio regnans considit eburno.
Nullus ad arcanæ penetralia peruenit aulæ,
Séque ministerijs offert regalibus aptum,
Quin prius ingeniúmque Duci, vitámque probauit
Innocuam, cuius nemo est examine dignus,
Quàm bonus & frugi. Nec se modò præstat ab omni
Immunem vitio, sed ne contagia sacrum
Inficiant aliena larem contendit, & arcet
Sollicitus, ne disparibus cingatur alumnis,
Quos similes vult esse sui, propriósque penates
Non secus ac totum summittit legibus orbem.
Sic primus mandata subit communia Princeps,
Ne populus parere neget, cùm rector eodem
Vtitur imperio, nec legem negligit auctor.
Sancta quoque ad longam venient decreta senectam,
Desuetique nouam mores & scita resument
Canitiem, nec supplicijs vindicta remissis
Extinguet contempta metum; sed iudice surget
Acrior Ernesto, frenúmque licentia sumet.
Nullus at arbitrio reus accusantis iniquo
Succumbet, comprensa suo sed iure potestas
Omnis erit, se quisque foro priuatus eodem
Et fiscus defendet, erit lex omnibus vna,
Euentusq́; manet damnatum legibus idem.
Alterius non sector opes, non hasta nefandis
Artibus, aut odijs vltrix damnabit acerbis,
Inuitos inuita reos censura notabit.
Pignora sic animo genitor dilecta benigno
Format, & offensas natorum sponte remittit;
Si renuant mandata sequi, pietate paterna
Increpat, & durum facilis clementibus vrget
Legibus ingenium, donec moderamine sensus
Molliat, aut prauos inflectat verbere mores:
Haud secus Austriaci clementia Principis omnes
Excipiet, patrióque sinu complexa fouebit.
Nullus erit vacuas dominus qui liquerat ædes,
Quin redeat, pulsóque metu desueta retractet
Munera, pacatósque operi quin destinet agros,
Et diuûm cumulet solitis altaria donis.
Iam, Dux magne, tuum lætis Antuerpia votis
Flagitat aduentum, sperat te cernere Scaldis
Iamdudum, & vinclis solui stringentibus optat.
Hîc tibi victrices hederam distinguere lauros,

Hic muros portásque vides vestire corymbos,
Effusámque foras contendere plausibus vrbem.
Cernis vt ingressu gens arceat obuia primo,
Accessúmque frequens adimat? vix submouet armis
Lictor, & obstantes perrumpunt vota secures.
Tantus amor studiúmque tui, dum quisque videndi
Officio ruit, & certamine flagrat eodem,
Impatiénsque moræ, decorísque oblitus, in vnum
Mente virum fertur tota, qui spectat ad omnes.
Ingressum variis populus comitatur euntem
Vocibus, vrbanásque vias concursibus opplet,
Pergat vt Augusto stipatus tramite Princeps
Hinc atque hinc, alacres tollens Respublica vultus
Lætitia fremit vnanimi, clamoris vbique
Personat æqualis tenor, vt sese omnibus æquum
Exhibet Ernestus: cumulant vestigia plausum
Singula, felices oculos qui cominus illum
Aspiciunt propiore vocant à sede remoti.
At quos transierat, tacito mœrore sequuntur,
Dúmque valent signant oculis, alióque recurrunt,
Nec satis est vidisse semel, iuuat ora tueri
Sæpius, optatam vultu spirantia pacem.
Præsentis nec sola boni se mentibus offert
Materies, sed venturis blandita voluptas
Promittit maiora, salus vt quemque fatigat
Exspectata diu, discretáque tempore iungit
Fata, nec Austriaco quemquam spes obside fallit,
Corda sed accendit dulcedine capta futuri.
Interea dubij quæ cernunt credere multis
Hærebant animi; sic obstupuere videntes
Delapsum armisonæ simulacrum ex æthere diuæ.
Quis canet immensis exstructos molibus arcus,
Instar montis opus, quis nubibus æqua theatri
Pegmata, quis festos referet per compita ludos?
Omnibus idem animus, certant concordia votis
Gaudia, peruigilem superant funalia noctem,
Ardentésque faces spargit Vulcanus, & ignes
Sufficit, innocuæ lambunt fastigia flammæ.
Talibus auspicijs Antuerpia læta triumphos
Edit, & eximia peragit spectacula pompa
Venturi præsaga boni: sic limine primo
Vestibuli decus interius regalia produnt
Atria, splendorémque domus sua ianua pandit.
Ipse regens sortes felicia spondet Apollo
Secula, siderei veniens statione Iuuenci.
Nam Taurus ceruice iugum, solitósque labores
Ruris, & assidui cultus deposcit aratri,
Seranos optans iterum de vomere fasces.

Fœturam

Fœturam Cytherea dabit, nam sidere diua
Gaudet, Agenorei non immemor illa iuuenci.
Cynthius orbe suos sed cùm radiante Gemellos
Attigerit, procul arma viris & tela cruentis
Excutiet, lituos plectris mutabit eburnis,
Ingenióque dabit calamos tractare benigno,
Et curas gelidi cantando molliet æui.
Delius at Libyci complexus brachia Cancri,
Priuatas augebit opes, commercia Belgis
Restituet lucri Cyllenius arbiter omnis.
Nauta peregrinas inuiset puppibus oras
Auspicio Ducis Austriaci, pelagóque remenso
Depositum grauidæ capiet vix ripa carinæ.
Cúmque Cleonæi fuluas, Thymbræe, Leonis
Incipies flammare iubas, visésque potentem
Mygdonia cum matre Iouem, regnabit in orbe
Maiestas secura sui, magnóque Philippi
Barbaricæ imperio venient se subdere gentes.
Belgica nobilitas posito teret ocia bello,
Et studium venatus erit, formidine siluas
Eximet, & vastos cingens indagine saltus
Inferet arma feris, spolijsq; potita redibit.
Phœbus at Erigones cum se conuertet ad astrum,
Tum leges, Erneste, tuo morésque vigebunt
Imperio, castusq; pudor, tum lilia cœtus
Virginei violásque tibi vernantibus hortis
Purpureásque rosas carpent, necténtque coronas,
Ornabuntq; suis victricia tempora sertis.
Te quoque maturas defendet vindice fruges
Flaua Ceres, ne miles opes prædator agrestes
Auferat, aut grauidas lixarum vulgus aristas.
Spem seges agricolæ superabit, & horrea messis
Vincet, & ingentes de fœnore condet aceruos.
Libra sed æquali cùm tramite pendula currum
Solis aget, paribusq; rotis noctémque diémque
Diuidet, arbitrio causarum examina recto
Consistent, nec iura foro poscentur iniquo,
Iusta sed ambiguas dirimet sententia lites.
Auctor vt æquato suspendit pondere Libram
Mulciber, & partes aptauit lancibus ambas;
Sic Themis ad trutinam fas omne rependet eandem,
Seruabítque parem cunctis censura tenorem.
Scorpius ætheria sed cùm regione quadrigas
Ducet, & ardentes Phœbeo lumine Chelas
Contrahet, Austriacis cessantem legibus axem
Pacifica tellure Deus bellator vtrumque
Soluet, & innocui pascent per rura iugales.
Belga sed armorum posito ne torpeat vsu,

Parta viri ficto miscebunt otia bello,
Aut explorandis pugnæ simulacra ciebunt
Viribus, & sumpto ludent certamina ferro.
Post vbi semiferi Sol Arcitenentis in orbem
Plaustra vehet, mensémq; reget signúmque Dianæ,
Cornipedes Ernestus equos frenare iubebit,
Sessorémque pati, facilésque inflectere gyros,
Ceruicémque rotis domini submittere curtus,
Austriacus facta cum deditione vel armis
Pace, triumphales tractabit victor habenas.
Cùm iubar è gelido Capricorni sidere sacros
Accendet radijs Vestæ penetralibus ignes,
Tum diuûm solito fortunatißima cultu
Belgica, perpetuos aris adolebit honores
Gente sub Austriaca, quæ relligionis auitæ
Sola patrocinium suscepit, & hostibus infert
Arma feris, opibusq; fidem complexa tuetur.
Tum fluet occiduis rutilum fornacibus aurum,
Et belli valido firmabit robore neruos,
Nulla sit Hesperijs vt viribus æqua potestas.
Solis at effusis Iuuenis cùm temperat vndis
Ardorem, medióque rigens stat frigore brumæ,
Imperium geminis aquilis Saturnia Iuno
Diuidit, vna vices cæli tenet, altera mundi;
Dumq; ministerium tractabit fulminis ales,
Austriacis apicem felicior altera signis
Tollet, & immensum frenabit legibus orbem,
Et sibi barbaricas subdet Germania gentes.
Adnatat Eöis cùm Piscis vterque quadrigis,
Litora pacati spondet Neptunus & vndas
Oceani, tutumq; salum: nam Squamiger Austrum
Respiciens, iubet Austriacis submittere pontum
Viribus, & totum concedere claßibus æquor
Hesperijs, nutuq; rates dare vela Philippi,
Cui Deus imperium pelagi sortémque secundam
Ceßit, & æquorei ius contulit omne tridentis.
Aurea Lanigeri pecoris cùm vellera Pallas
Concedet Phœbi radiis, immania tollent
Monstra Duces, qui Phryxeum virtutibus aurum
Et generis splendore ferunt, aut præmia factis
Illa suis, animíque decus præstantis habebunt.
Et sublime suum meritis ad sidera nomen
Austriaca sub gente vehent, magníque Philippi
Auspicijs, velut Æsonio ductore triumphis
Adijcient domitum reliquis cum gentibus orbem.
Talibus auspicijs faciles hæc munera diui
Ernesto veniente dabunt, & mensibus anni
Exactis serie semper vertentur eâdem,

Longáque

Longáque pacifici ſignabunt ſecula faſti.
Hæc nos fata manent, te carmina feſta, tuiſque
Pro meritis æternus honos, Erneſte, loquetur
Cuncta tuum nomen tellus, annalibus vnum
Poſteritas te ſera leget, te ſcena theatris
Officioſa colet, totóque aſſurget in orbe.
Signa tuas laudes referent, tabulæq́ue perennes
Virtutis monimenta tuæ, te floribus herbæ
Inſcribent, duríſque manus te docta metallis,
Viuet & in grauida ſpoliis tua gloria quercu.
Exere quidquid habes, quantumq́ue, ô Belgica, polles
Ingeniis, linguæq́ue ſuas facundia curas
Conferat, & cunctas abſumat laudibus horas,
Nocturnóque Ducem ſpacio celebrétque diurno.
Nec, vates, operum pigeat, qui fata ſoletis
Condere victuris æterna in ſecula libris:
Scriptorem ſua materies hic laudat, & omne
Concedet genium ſcriptis Erneſtus in æuum.
Vos quoque ſolerti naturam æquare periti
Ingenio, rebusq́ue ſuas inducere formas,
Artifices, veſtros operi conferte labores
Auſtriaco, Parióque Ducis de marmore vultus
Reddite, vel magnos effingant æra coloſſos,
Effigiem vel ſpiret ebur, pretiumq́ue decorem
Addat, Erythræis ornato vertice gemmis,
Erneſtumq́ue loco poſitum cernamus in omni.
Exorata bonis faueant ſed numina cœptis
Muneribúſque ſuis, & publica vota ſecundent
Euentu, ſeruéntque domum, Regéſque, Ducéſque
Auſtriacos, nomen populis fatale gerendis.
Flagrantíque ſacras animo voluamur ad aras,
Numen Ieſſæo placidum cum vate precantes.
Pſalm. LXXI. *Dicere ius Regem populis, Deus arbiter æqui,*
2. *Exemplo concede tuo, fac regia proles*
Iuſtitiæ correcta tuæ veſtigia ſeruet.
3. *Omnis vt ad rectam quadret ſententia normam,*
Pauperibus facilem iudex & præbeat aurem.
4. *Tum ſua pacati tollent faſtigia montes,*
Multáque frugiferis moderamine collibus æquó
5. *Affluet vbertas, iuſto nam vindice ſtabit*
Afflicti fortuna viri, cuſtóſque fidelis
Seruabit natos inopum, qui litis iniquæ
6. *Conteret artifices, quo defenſore vigebit*
Imperium, dum Phœbea ſub lampade mundus
Deget, & æternæ fulgebunt cornua lunæ,
Longáque perpetuæ mutabunt ſecula gentes.
7. *Irrigat vt ſectas imber lætiſsimus herbas,*
Humoréſque bibit ſtillantes roſcida tellus;

Sic

8\. Sic æquo ſub Rege,pius iuſtúsque virebit,
Blandáque tranquillo florebunt otia mundo,
Non peritura,ſuos cælo dum luna meatus
Deſeret,& ſolito priuabit lumine menſes.
9\. Rex erit Heſperij maris,& regnator Eoi
Litoris,Auſtralíſque illi famulantibus orbis
Fluminibus,gelidam ſceptrum producet ad Arcton,
10\. Extremóſque ſinus telluris. Et incola vaſti
Memnonis imperij veſtigia Regis adorans
Concidet ante pedes, vultúmque inſcribet arenæ
Hoſtis, & altrici ſupplex dabit oſcula terræ.
11\. Dona duces illi Cilicum regalia mittent,
Et medio quæcunque ſalo iacet inſula,mittet
Munera meßis Arabs,Reges ſua thura Sabæi.
12\. Inflexíſque colent illum ceruicibus omnes
Qui ſacrum diadema gerunt,dominumq; potentem
Agnoſcent,famulæq; volent ſe ſubdere gentes
13\. Quotquot erunt; nam Rex inopes iniuria vexet
Ne qua reos, damno redimet protector ab omni.
14\. Deſerto feret auxilium,defendet egenum
Pauperiem miſeratus,opem certámque ſalutem
In vitæ dabit exitio verſantibus idem.
15\. Euerſóſque dolis,auido ſeu fœnore merſos
Reſtituet,pretiúmque ſinet non vile cruoris
Eſſe inopis, fundi quem non impunè videbit.
16\. Viuat,& in multos regnet feliciter annos
Diues opum, Meröes fuluo ditißimus auro,
Incolumis populi votis, & laudibus omni
17\. Tempore.Fertilitas illo ſub Principe ſummo
Vertice montis erit, Libani ne murmura ſiluæ
Tanta ciere queant agitante cacumina vento,
Quanta dabunt valido crepitantes flamine culmi.
Florebuntq; ſuis numeroſæ ciuibus vrbes,
Veſtit vt irriguos vbertas gramine campos.
18\. Illius æterno ſe gloria nominis æuo
Proroget, & ſeclis ſolem viuacibus æquet.
19\. Rege ſub hoc opibus gens affluet omnis, & eius
Imperium merita celebrabit laude beatum.
20\. Abramidûm ſelecta Deo præconia ſoli
Conueniunt,qui cuncta creat non indigus vllo
Auxilio,& rerum miracula conficit vnus.
21\. Maieſtáſque potens eius noménque canatur
Perpetuò,& terras decus impleat illius omnes,
Ne vacuus ſit laude locus,nec tempora ceſſent.
Hanc ita votorum firment pia numina ſummam,
Optatúmque bonis cumulent ſucceßibus omen.

FINIS.

ORATIO

ORATIO IN OBITVM SERENISSIMI PRINCIPIS ERNESTI, AVSTRIÆ ARCHIDVCIS, DVCIS BVRGVNDIÆ, COMITIS

Habspurgi, &c. Aurei velleris Equitis, Belgicis prouincijs à Regia Maiestate Catholica Præfecti, Decimo Kalend. Martias Bruxellæ defuncti.

AD ILLVSTRISSIMOS ET AMPLISSIMOS CONSILII ORDINVM PATRES ATQVE PRINCIPES.



SAPIENTER ac præclarè magnus ille Philoſophus de Socrate refert Plato, Illuſtriſſimi Principes, Patres ampliſſimi, de vicinitate & coniunctione quadam voluptatis & Doloris in hunc modum differente; eas nimirum animorum paſſiones, quamuis ſibi contrarias, tamen ita propinquas in humanis actionibus & mixtas ſemper eſſe, vt ſi quis alteram perſequatur & capiat, cogatur ferè & alteram ſuſcipere, quaſi ambæ vno capite aptæ contineantur: Phrygium proinde fabulatorem Æſopum, ſi hæc animaduertiſſet, huiuſmodi apologum fuiſſe compoſiturum; Deum videlicet cùm hęc duo bellum inter ſe gerentia conciliare vellet, neque tamen poſſet; ipſorum vertices certo nodo colligaſſe, & ideo vbi alterum eorum adfuerit, alterum continuò etiam ſequuturum. Quapropter in hunc ſenſum priſci illi Romani coluerunt duas diuas, Angeroniam & Volupiam, hanc ab angoribus dictam, illam à voluptate: & pontifices Angeroniæ rem diuinam faciebant in Volupiæ ſacello, in cuius item ara ſimulacrum erat poſitum Angeroniæ ſociæ Deæ: vt ſignificarent voluptates & dolores in hac mortali vita ſibi inuicem ſuccedere. Cuius rei exemplum illuſtre quidem dedit, ſed perquàm luctuoſum, optatiſſimus Archiducis in prouinciam aduentus, & funeſtus eiuſdem à nobis diſceſſus. Quæ mors intempeſtiua, & alieniſſimis Reip. temporibus Principis optimi præſtantiſſimique repentina hæc orbitas, improuiſò nos oppreſſit, cùm adhuc in illo honorificè excipiendo, adeundo, ſalutando, in ipſius imperij quaſi limine verſaremur. Itáne verò gratulationem acerbitas, plauſum ægritudo, lætas acclamationes lugubre ſilentium & ſuſpiria exceperunt? Síccine tam ſubitò, conuerſo in luctum riſu, gaudio in triſtitiam, illis ipſis oculis, in quibus Erneſtum Archiducem ferebamus, lacrymæ eliciuntur? An ita Dis eſt placitum, voluptati vt mœror ſemper comes conſequatur; quin incommodi plus maliq́ue ilicò adſit, boni ſi quid obtigit? Hem, Erneſte, quantam tua morte occaſionem mœſtitiæ nobis obtuliſti! Nam cùm infelix Belgica tot cladibus attrita, ac penè proſtrata tot iam annis iacuiſſet, tuo ſeſe illa aduentu ſolabatur, de te vno cogitans animum recreabat, & vultum in te intuens ea mente attollebat, vt non modò omnium calamitatum memoriam deponere iam inciperet, ſed ad certam ſpem quietis ipſa ſe erigeret, atque tuâ præſentiâ ſe reſpiraturam tandem aliquando poſt tot mala confideret. Sed ô fragilem & lubricam hominum ſortem, ô inanes noſtras cogitationes, ô conſiliorum mutabilitatem! Ecce, in quem rerum noſtrarum fiduciam conſtitueramus, cui tota nuper Belgica obuiam ſe effudit, repētè nunc exanimem, & importuni luctus argumentum cernimus. Qui caſus erepti nobis Archiducis, infelicem hanc Remp. ita perculit & afflixit, vt exiguam medicinam ad dolorem mitigandum ſupereſſe videamus; neque aliud in præſens leuamentũ habeamus, quàm pulcherrimã virtutum, quibus fuit ornatiſſimus, recordationem. Etſi enim ille nos ante deſeruit, quàm bonis commodiſq́ue quæ ab eo exſpectabamus, frui inciperemus; tamen vitæ integritate, & prudentia ſingulari, tam incredibilem apud omnes homines exiſtimationem adeptus eſt, vt primo aduentu ſuo omnes huius

huius belli molestias absterserit. De tanto ergò Principe ab humano consortio nuper digresso, Illustrissimi proceres, in concessu hoc amplissimo verba facturus, & ad commendationem funebrem accessurus, haud vnam rem intueor, quæ magnopere suspensum me reddit, & solicitum. Si enim vis ingenij, quod mihi quidem minus quàm mediocre est, si dicendi facultas quæ in me nulla est, cum Ernesti magnitudine, vestraque dignitate, & dolore omnium quos atratos hîc conspicio, videatur conferenda, vereor ne idoneus virtutum eius laudator primùm desideretur, tum ne meâ infantiâ amissi Ducis desiderium non modò non imminuam, sed etiam valdè augeam. Verùm ea spe fretus ad dicendum me comparo, quòd eò æquiores vos mihi habiturus sum, de laudibus Archiducis paucis verbis dicturo, quò maiori eum viuum officio coluistis, omniq; honoris genere decorandum cēsuistis: Et quod nemini ignominiam paratam esse videam, qui nequeat huius Principis virtutes & splendorem pari eius meritis oratione complecti; præsertim cùm existimem vix vllius eloquentiam sine vestra humanitate huic muneri suffecturam. Nam quis generis claritatem, Austriamq; familiā pro sua dignitate satis vnquam celebrauerit? Cuius equidem primordia nō ab Hercule deducam, nec ad Priamum referā, satis enim nobis est, quòd hoc verè affirmare possimus, nullā in terrarum orbe vniuerso gentē reperiri, quæ cū Austriaca domo, stirpis antiquitate, vel rerum gestarū gloria cōparetur. Quæ cùm summorū Cęsarum, Romanorū Imperatorum parēs sit & educatrix, ac velut fons quidā & seminarium triumphorū, tum hoc illa nobilior, quòd maxima Reip. Christianæ præsidia in armis eius & potentia consistant. Sed quia hæc cuiuis notissima sunt, & quòd molem Imperij Romani sustentari ab Austriis Principibus (stabilitatis firmamento, ab Hispanica monarchia, & ornamento dignitatis accedente) nemo sit qui ignoret; nihil vltra ad Ernesti cōmendationem ex generis amplitudine, vel ex eius domesticis imaginibus sumemus, sed reliquam ex eius probitate & sapientia laudationem hauriemus. Et nihil prædicationis alienæ admiscebimus, præter Cæsaris Augusti Maxæmyliani patris, (quę tamen Ernestus, ceu thesaurum pretiosum, inter bona propria non immeritò numerabat) Principis omnium præstantissimi, & matris Mariæ Augustæ Philippi Regis germanæ, lectissimæ heroinæ, commemorationem. Hos ille cùm auctores vitæ suæ habuerit, (patrem nimirum tam religiosum iustitiæ cultorem, quàm fortem religionis Christianæ vindicem; matrem verò præclaris animi dotibus excultissimam, & matronalis verecundiæ spectatam adeò custodem, vt puellæ nobilissimæ non in Cæsareo gynæceo, sed in ipso sacrario diuæ Pudicitiæ versari dicerentur) non degenerauit à parentum disciplina, sed ad quæuis vitia repellenda institutus, & maiorum suorum virtutibus excitatus, totum ad eosdem imitandum se composuit, vt se iis dignū esse reipsa declararet, & gloriæ patrimonium sibi ab illis relictum tueretur & augeret. In summo itaq; maiestatis splendore, atque inter fasces imperij educatus, egregiam illam indolem ab ętate ineunte excolendam esse ratus est, neque sibi domi, in illa Cæsarea virtutum officina, ab opere cessandum, vel otio languescendum; sed benè beateque viuendi rationem in doctrinæ studio, quo vno virtutes propè omnes acquiruntur vel certè perficiuntur, adolescens collocauit; existimauitque nulla viros principes aptiora vel vtiliora instrumenta, ad regendā Remp. vel gloriam adipiscendam comparare sibi posse, quàm eruditionem & literarum elegantiam; neque illa magnitudinis quæ in se habent semina, vel ad vsum rerum maturius coalescere, quàm nutrimento disciplinæ, nec ad decus consequendum vberius efflorescere, quàm scientiæ ornamento. Tam præclaris Ernestus se primùm tyrociniis exercuit & formauit, tantumq; breui tempore in hoc instituto ad virtutes profecit, vt omnium suffragiis ad maxima imperia iam tum destinaretur. Nam cùm in iuuentute, cui multa blandimenta natura ipsa dedit, multasque ad voluptatem vias lubricas ostendit, nihil sibi permitteret, quod in illa vitæ parte, ceu ætatis erratum excusare solemus; sed adolescentiæ libertatem sanctissimis temperantiæ & pudoris legibus moderaretur & astringeret, affectibus imperaret, atque ita viueret, vt se ipsum pro exemplo seueritatis, continentiæ ac sobrietatis æqualibus suis proponere videretur; illam de se omnibus opinionem præbuit, vt quauis potestate in alios exercenda dignissimus haberetur. Etenim aliis iura dare rectius ille potest, qui semetipsum regit, & cupiditates alienas refrenare, qui suas ipse cohibet; & ab aliis reposcere rationem vitę audet, qui reddere po-

dere poteſt ſuæ. Raros Principes videmus qui in æui ſui curſu inſolēti & pręcipiti, natalium amplitudine, & magno imperio benè vti ſciant, aut qui animi ferociam modeſtiâ tēperare, in opum affluentia frugalitatem ſeruare, & licentiam infinitam viuendi innocentiâ præcidere ſoleant: vt in maxima fortuna, ſumma temperatiò, modus in copia, in nimia libertate continentia requiratur. Nuſquam igitur effuſiùs ad luxum, ad libidines, & ad quæuis flagitia habenæ laxantur, quàm apud eos homines, qui vitia ſua occultant poteſtate, neque alio nomine beatos ſeſe putant, quàm quòd faciant quicquid libet, & ad cupiditates incitamentum habent, peccandi impunitatē. Longè aliam Erneſtus rationem morum iniit; deſpectis enim omnibus voluptatū illecebris, nihil niſi graue, niſi rectum & ſeuerum ſentiebat faciebatq;, & à ſtudiis iuuenilibus, quæ ab eius pueritia celeriter defloruerant, alienus & auerſus, omnibus actionibus & ſermonibus exprimebat, ſe nō minus infenſum turpitudinis hoſtem, quàm amicum eſſe honeſtatis ſingularē. Præterea has virtutes grato & laudabili temperamento condiebat, vt nihil ſeueritas benignitati detraheret, nec comitas eius grauitate impediretur, maieſtas modeſtiam coniunctam retineret. Sic Principis ingenio moribuſque compoſitis, vt ſecum ipſe certaret, & vix alium quàm ſeipſum ſuperandum reperiret; nō tamen à paternis veſtigiis deflectebat, ſed dum magnanimitatē, perfectamq; ſapientiam, quibus Cæſar Auguſtus imperium gubernabat, aſſiduè intuetur, admiratur, imitatur, nō tam propriis virtutibus ſtimulos adhibere, quibus iam non indigebat, quàm neruos illarum intendere videbatur, & eaſdem exemplis paterr is confirmare. Cùm autem ſatis roboris ætati acceſſiſſet, cum fratre Rudolpho in Hiſpaniam eſt profectus. Ibi à Rege cognato amantiſſimè excepti, & perquàm officiosè culti habitique, ciuilem ipſius (Principis nimirū maximis in rebus ſuſtinendis & gerendis exercitatiſſimi peritiſſimiq;) conſuetudine prudentiam, facilè aſſequebantur; clementiam, quâ Philippus non modò omnes Principes, ſed ſuas ipſe virtutes ſuperauit, ſic in ſanguinem & ſuccum ſuum conuertebant, vt vel ab illo inſita, vel ipſis potiùs innata videretur; deniq; ad Chriſtianam religionem propagandam, cuius deſiderio per ſe ipſi flagrabant, Catholicæ Maieſtatis ſtudio & ardore, magis etiam magiſq; inflammabantur. In ſuam itaq; Germaniam reuerſi, reipſa demonſtrarunt & ſpecimen dederunt, quàm ab Hiſpaniēſi virtutum mercatu minimè inanes aut vacui redierint. Nam cùm Maxæmylianus optimus Imperator ad immortalitatē ex hoc orbe demigraſſet, & vnicum Romani Imperij columen videretur concidiſſe, Rudolphus vnanimi VII. virûm ſuffragio Auguſtus ſalutatus, tam præclara dedit præſtantiæ teſtimonia, vt parentem Cæſarem nō penitus amiſſum, vel ademptum ſibi homines putarent, ſed bonam eius partem in ſuperſtite Rudolpho relictam gratularentur. Erneſtus verò ad vtramque Pannoniam gubernandam aſcitus, in primo ſtatim imperij exordio haud obſcurè declarauit, ſe illis virtutū, rerumque fortiſſimè gerēdarum inſtrumentis non minùs vtiliter ad ſalutem Reip. & commodum vti ſcire, quàm honeſtè & diligenter eadem comparare. Multis igitur annis prouincias illas rexit, tanta integritate, innocentiâ, fortitudine, tam ex Cæſaris voluntate animiq; ſententiâ, ad populi quietem & proſperitatem, & ſecuritatem orbis Chriſtiani, vt eum Rudolphus non vt fratrem amauerit, ſed Cęſar vt imperij conſortem obſeruauerit, & nihil vnquam geſſerit, niſi communicatis cum Erneſto conſiliis. Adhęc Erneſti erga nobiles, erga omnes manſuetudo & humanitas, in milites liberalitas, æquanimitas in ſubditos, tam gratū & iucundum eum omnibus faciebat, vt ij felices ſibi viderentur, apud quos ille Princeps diu cōmorabatur. Nec plurimis abhinc annis tutior aut trāquillior rerum Hungaricarū ſtatus fuit, quàm cùm illam prouinciam Archidux Erneſtus, non præfecturæ titulo, ſed vt domus Auſtriacæ propriumq; patrimonium, ac Romani imperij propugnaculū defenderet. Cùm igitur immaniſſimus Chriſtianorum hoſtis Thraciæ tyrannus biennio elapſo, cum exercitu inſtructiſſimo impetū in illam regionē faceret, permulta ſunt ibidem Erneſti conſiliis auſpiciiſq; geſta, viribuſq; repreſſæ barbarorum incurſiones, vt præclari eius nominis ac virtutis gloria adhuc ibi vigeat, & eximia eius laudis ad æternitatem ſuperſint monimenta. Quæ cùm fama conſtanti omniumq; ſermonibus vbiq; celebrarētur, opportunā Rex Catholicus Princeps noſter clementiſſimus occaſionē habuit, cognato Archiduci Belgicarū ditionum imperium deferendi. Poſtquam enim Deus Alexandrum Farneſiū Ducē bellicoſiſſimum, ex

hoc salo turbulento,ad quietis portum,ex hac corporis custodia ad cælestem libertatem, ad perennem valetudinem ex languoribus eduxerat, quibus inter milites in castris tabescebat, non alius in orbis terrarum comitijs idoneus repertus est, præter Archiducem, quem in demortui locum sufficiendum duceret.Etenim si genus Austriacum spectemus,& Belgij prçfecturam,quam consilio salutari, & grato subditis exemplo gerunt Regij sanguinis Principes,nemo gradu propiore Philippos attingebat:Sin auctoritatem imperij intuemur,quç ad bellum gerendum vel ad pacem componendã summa requiritur; is præses nobis datus est, qui proximum culmini Cçsareo locum habuit.Neq; alius tam dubijs formidolosisq; Reip. temporibus,hos Inferioris Germaniæ tumultus, quàm Princeps Germanus videbatur pacaturus. Hoc etiam ille animo prouinciam hanc suscepit, vt Regis exquisitum in eligendo iudicium,suã in regendo sapientiã comprobaret.Quod non minùs prçstitisset,si insigni illo munere longioris vitç vsu perfungi licuisset;ac reipsa declarasset,lõgè maius esse imperio vti scire,quàm illud adipisci, quòd hoc in proprijs virtutibus sit positum, illud velut alienum à fortuna tribuatur. Quamuis igitur latissimum ad acquirendam gloriã domi campum haberet,tamen Princeps Ernestus tam ad sui quàm ad nominis Austriaci splendorẽ,ingentem laudis cumulum putauit accessurũ,quòd virtutis suæ exercendç facultatem foris etiam nactus esset. Postremò quia numeros boni & iusti Principis explere omnes cupiebat, pars illa iustitiæ,quam distributiuam Philosophi vocant, postulare videbatur, vt externum ad imperium accito Archiduce,reliqui Principes fratres domesticum sortirentur, factâ quadam materiæ ad gloriam partitione,& seruata æqualitate. Vienna itaq; digressus Ernestus, & à patriæ cõplexibus, ægrè illo carentis,dimissus vel exemptus in prouinciã contendit.Mirum dictu fuerit,quãto cum applausu,quacunq; iter fecit Archidux exceptus est, quàm comiter appellatus à Germaniæ proceribus,à ciuibus salutatus. Tota siquidẽ Germania cladis Belgicæ confinio vehementer afflicta,& calamitatis vicinæ diu socia ,in communionẽ lætitiæ vocabatur,nec Belgis meliora precabatur vel optabat,quin illa sibi ipsa quoq; gratularetur, & spem incredibilem deDucis in Belgium profectione conceptam,nobiscum participaret. Porrò quantis votis, quanto populi desiderio prouinciam sit ingressus,vobis Patres amplissimi,recensere superuacuum est, quòd honores Celsitudini eius exhibitos ipsi decreuistis, & quòd magnificentiæ publiciq; splendoris, quo illum Bruxella & Antuerpia coluerunt, memoria recentissima est. Quamobrem magis pium censebitur hoc officiũ, quod hac oratione in funere eius soluimus,vt quem vita fruentem quouis cultus genere prosecuti sumus, eum etiam suæ laudis commemoratione, postquam inter homines esse desijt,decoremus;ne si mortuo defuerimus, id omne quod præstitimus in aduentu & exordio, fortunæ illius & imperio videamur non beneuolentiæ vel meritis tribuisse. Nihil igitur facimus in illo prædicando,quàm quod possumus & debemus, & propemodum nescimus, an posthac magis grato,magis commodo,magis exspectato Principi prçfecto similem vnquam operam simus præstaturi.Quamuis enim neque hunc dolorem,neque funus experimur, quin idem nobis etiam antea contigerit, tamen nunquã temporibus magis impeditis huiusmodi orbitatem Resp.est perpessa. Excessit hic è viuis Ludouicus Requesenius, sed eo minus doloris eius obitus attulit,quo debilitatis & fractis hostis viribus,minor ab eodem nobis metus impendebat. Cuius belli reliquias successor oppressisset, si aduentum in prouinciam prius accelerasset,quàm exercitum firmissimum è victoriæ suæ cursu seditio reuocasset. In Ioannis Austriaci interitu immaturo deploranda certè fuit humana imbecillitas, & inconstans rerum status: Sed cùm ille flos militiæ ante exaruisset, vel resectus esset, quàm fructus illos pareret, qui extra Martis campum percipiendi non fuissent, erant multi homines qui victoriæ ferociam magnoperè extimescerent.Etsi enim illo Duce nihil erat moderatius,in eo tamen bello,quod ciuili præcipuè discordia alebatur,victoria non insolens esse non potuisset, si armis viribusque,quibus ille ad gloriam immortalem nitebatur,conficiendum fuisset; præsertim cùm tot opida,tot vrbes, tot prouinciæ superessent expugnandæ, erat metuendum, vt illud incendium in Belgicam propemodum vniuersam exortum, non nisi regionis ruinâ exstingueretur. Austriaci item morte non vacauit imperium, nam in eius locum successit Farnesius,præsens,actusque demortui continuans, tanta animi magnitudine, contentione, diligentia,

gentia, vt summo illi Duci accepta feratur Belgij restitutio. Cuius mortem qui non luxit, is vel immanitate vel stupore animi se correptum esse indicat, vt qui sensu caruerit, dum è corpore Reip. nobilius illud membrum, vel caput tolleretur. Si enim naturâ sic comparatum est, vt audito cuiusquam viri boni occasu, non possimus non contrahere aut demittere animum, quantò magis dolendum est exstincto Alexandro, cuius vita tot commodis, beneficiis, ornamentis Remp. Belgicam, Christianam, vniuersam, cumulauit, affecit, & amplificauit! Sed nescio quomodo heroibus ferè omnibus fatale videatur, vt ad plures præteriti periculi obliuio, quàm accepti beneficij recordatio perueniat, & in metu homines semper benigniores, quàm in victoria grati reperiantur. Grauem tamen Farnesiani obitus casum, qui tempore nunquam magis alieno incidere potuisset, leuiorem effecit Ernesti exspectatio, quem auctoritate, consilio & prudentia confecturũ sperabamus, quicquid strenui illi Duces copiis opibusque immensis vel tentauerant, vel omnino non attigerant. Cùm is enim rem arduam prouinciæ Belgicæ præfecturam iudicaret, totam eius salutem in se recipiebat, neque partem eius aliquam, sed vt sapientes medici solent, totum corpus spectabat, curandumque proponebat. Quod cùm vi & armis belloq; diuturno parum processisse animaduerteret, rem alia ratione aggrediendam sibi statuit, & consiliis mitioribus hos tumultus, & hæc odia desperatæ concordiæ ad tranquillitatem pacemque reuocanda. Omnia itaq; vota eius, cogitationes, studia, pacis erant, sine qua nec sincerum Dei cultum florere, neq; dignitatem Regiam defendi, nec alleuationem populi tot cladibus oppressi procurari posse existimabat. Cùm ergo omnes scirent de pacando rerum statu eum animo agitare, atque hoc etiam experiri, nemo erat quin confideret, Ernestum res omnes ita compositurum & tranquillaturum, vt vitam in ocio securam ageremus. Quamobrẽ cernere erat vultus bonorum hilares & erectos, eorum qui nutabant planè confirmatos, improborum verò facies tristes & abiectas; eosque de loco, quem in pace nusquam habent, propediem mutando, & exsilio voluntario consilia ineuntes, dum prosperitatis futuræ lætitiam boni omnes præciperent. Nam haud temerè homines sibi persuadebãt, Deum conatibus Archiducis adfuturũ, quod ex eius morum probitate colligebant, & bonorum omnium, ac pacis maximè auctorẽ, propitium fore credebant pacificatori Principi, quem eximia etiam vitæ sanctimonia cõmendabat: Sic enim viuentem eum intuebamur, vt aut quendam ex veterum annalium memoriâ, aut diuinum hominem de cælo delapsum in prouinciam putaremus. Alios fortasse belli Duces summos viros, qui in hoc vel in aliis imperiis floruerunt, militari gloria illustriores inueniemus, vel rerum gestarum magnitudine clariores; sed tam incorruptam animi integritatem, vitæque temperantis & innocuæ tenorem tam perpetuum & constantẽ, reperiemus in nemine. Quantò ergo difficilius est, prius sibi ipsi quàm aliis imperare, & de cupiditatibus suis, quàm de victis hostibus trophæum statuere (illud viribus alienis, hoc suo quisque Marte perficere tenetur) tanto magis aliorum splendidissimos triũphos Archidux Ernestus hac laude adæquauit, vel etiam superauit. Huc eius accedebat humanitas & clementia, ex qua nascitur suauissima ipsius recordatio, spe cõmodorum, quæ ab eius bonitate, quâ Belgæ duci cupiunt; in bonos lenitate, in errantes pietate, indulgentia in omnes, cumulatè exspectabantur. Nemini ad hunc Principem præcludebatur aditus, nunquam populi querimonijs, ciuitatum legationibus, omniumque postulatis, Gubernatoris aures benignius patuerunt, nunquam oratores attentius sunt excepti, neque perorantes patientiùs exaudiri, quos omnes vel Latinè, vel Germanicè, vel Hispanicè, vel Italicè dicentes (quam linguarum peritiam in Rege Mithridate mirata est antiquitas) perfectè intelligebat, & iisdem expeditè sine interprete respondebat. Multis igitur malis remedia adhibuisset, quæ superiorum temporum iniquitas importauerat. Siquidem mansuetudini coniuncta seueritas, ab eximio quodam studio iustitiæ profecta, assiduè eius animum habebat occupatum, vt nihil cogitaret, nisi vt respirante à diuturni belli cladibus Rep. prouinciam restitueret, mores emẽdaret, & ad veterem formam & præscriptum exigeret, atq; omnia reuocaret ad pristinum institutum, quo D. Carolus Quintus Augustus Imperator, patruus eius magnus, Germaniam suam Inferiorem rexit, & beatam conseruauit. Quod vt melius efficeret, ad pacem componendam, quâ spes salutis vna reuera ostendebatur,

consilia sua omnia cursumq; dirigebat,& vt sapiens gubernator omnia præparabat, quę ferendæ tempestati videbantur necessaria;Nec ad vllam Reip. Belgicæ medicinā sine magno præsidio accedendū statuebat.Exploratum enim & perspectū habebat,quàm imprudenter ij faciunt, qui imperiti & rudes ad imperiū accedunt,& quàm facilè in scopulos intrudatur Resp.vt in alto nauis,inexercitato nauarcho commissa. Noster verò Ernestus hoc animo in puppi immotus sedebat,vt singula tēporum,locorum & periculorū momenta expenderet, ingenia populorum,viresq; hostis exploraret. Hoc indocta multitudo, & ignarum ciuilis prudentiæ vulgus non intelligebat,sed quietum rectorem clauo assidentē nihil agere putabat.Quibus equidem hominibus nihil censeo respondendum,nisi quòd scientia & iudicio destituti,minimè sunt idonei politicæ rei iudices,quam secundū artem & non ex pręscripto tractandam docet Plato, nauarchi & medici in Politico exemplis. Stare enim Principes in medio velut orbe Reip.debent,qui cùm fortè versetur,eam aggredi rationem, ad quam eos vtilitas populi vniuersi, salusque conuerterit. Hoc igitur animo Archidux Ernestus velut quasdam inducias sibi ipse indixerat, vt tanquam in vmbra consilio prius omnia, quàm armis in sole & puluere experiretur;tanto acrior & vehementior(si concordiā amplecti, & in gratiam redire hostis recusaret) in arenam descensurus & bellum illaturus, quanto atrociorem contēptę pactionis iniuriam æstimaret. Hęc cùm ageret præfectus ex ea sentētia, quam status Reip.temporum inclinatio,& concordiæ ratio videbatur postulare,tamē prouinciarum administrandarū miserrimas conditiones euitare non potuit; in quibus diligentia plena simultatum est,cunctatio obtrectationum & vituperationū;vbi seueritas periculosa est, liberalitas ingrata,frons omniū familiaris,animiq; non officiis, sed temporibus seruientes, blanditiæ apertæ,iracundiæ occultæ,venientes cum imperio auidissimè exspectant,pręsentibus inseruiunt,abeuntes deserunt,vt in simili argumento conqueritur M. Tullius.Quamobrem quoties hæc animo perpendimus,si sortem nostrā respicimus, Archiducis interitus, luctu & lamentationibus;sin ipsius vicem,cultu potiùs & gratulatione videtur prosequendus, qui tot tantisq; malis,incommodis & molestiis,quibus omnes legati præfectiq; regionum obnoxij esse solent,vna morte perfunctus est, ab ingratis huius seculi ingeniis expeditus,& in tuto ac tranquillo quietis portu collocatus.Nam vt omittamus cōmunes vitæ humanæ miserias,quæ adeò caduca,adeò fragilis est,vt nihil hominibus accidere possit, quod aut improuisum aut inexspectatū sit,cùm nihil hîc tam firmū,tam stabile habeamus,quod non mutationē repentinam patiatur;quid quæso in Principū vita reperiemus, qui populo imperant,vel vt veriùs dicā seruiunt,ignaro,flexibili,inuido,moroso, vecordi, ingrato, cur felices aut beatos eos appellemus?cur non potiùs, (cùm sciamus non consiliū esse in vulgo, non modū,non discrimen,nec illud delectu vel sapientiâ duci ad iudicādum de Principum actionibus,verùm impetu quodam & temeritate)eorum fortunam & labores deploremus? Enimuerò si quis pulcrum & magnificū putat,in maximo splendore & in Reip.luce versari,is sciat honores,potentiā,imperia,opes,voluptates,lætitiam sæpe habere furunculi instar, latente inflammatione palpitantē & micantem. Proinde non est admirandū si oblato Archiduci amplissimo imperio,aliquid vel accesserit,vel etiam defuerit, quod minus illū voti compotē fecerit: nempe quòd tam citò, quàm maximè expetebat, in eum gradū Remp ex quo illa his tumultibus tot iam annos collapsa est,restituere nō potuerit,& subsidia belli ad pacis ornamenta transferre,siue quòd in tanta difficultatū mole,cùm ad bellum hosti inferendum se accingeret,exercitus Regij præsidiis caruerit,perpetua ferè,quàm diu imperauit, seditione impediti.In hoc igitur ille tam pertinaci malo, cùm velut alter Hercules hydram secaret,alia subinde atq; alia legione importunè tumultuante, cum sua quoq; Princeps valetudine parum firma,pedumq; doloribus conflictabatur;donec eum morbus inflammatis nephritide renibus letalis,cum febri oppressit. Ex quo viribus corpusculi iam valdè inclinantibus,salutis Christianę viatico instructus,ad metam mortalibus omnibus cōstitutam animosè decurrit.Et vt erat in vita permodestus & placidus, sic in mortis stadio sui non dissimilis,summa decedentis tranquillitas apparebat.O,beatum te,Erneste,qui ex hac mortali vita,quæ vtenda nobis data est,non possidenda,promissa piis omnibus,vt speramus omnes, hæreditate potitus es:qui ex hac multarum ægritudinū palæstra,in securam quietis sedem

commigra,

commigrasti:& ex hac statione omnium ærumnarũ,te in otium æternæ felicitatis recepisti; qui deniq; ex laborũ & dolorum omnium terrestri diuersorio, ad propriũ ciuitatis cælestis domicilium,& ad patriã euolasti! O ter felicem tibi mortem tuam, vel potiùs finẽ molestiarum, & perfugium vitæ melioris! neq; enim mors videtur appellanda,qua velut duce & ianitrice quadam,ea omnia assecutus es,quorũ gratia, dum viueres, vitam optimè instituisti. Nihil igitur est quod eius nomine lugeamus,qui per omnẽ ętatem summis viribus annixus est,vt mors quam paucissima,quæ adimeret,inueniret;cui omnia virtutum superstiti ornamenta,præmia defuncto cumulatè obtigerunt; cui nihil ablatũ est, quàm quod natura dedit, quæ deleri non possunt, duratura permanserunt. Hæc est illa vitæ benè actæ gloria, cuius recordationem nobis quidẽ iucundam,triste verò sui desideriũ reliquit. Dolendum ergo nostrá,dolendum causa publicá,quòd priùs tanti Principis iacturam fecerimus,quàm ipse fortitudinis & prudentiæ suæ,quá nos ex his angustiis bellorũ expediuisset, monimenta relinquere,Respublica,aduentus & imperij eius fructum percipere potuerit. Quocirca quandocunq; in mentem nobis venit, quantis beneficijs cõmodisq; Ernestus Belgium affecisset,quantumq; illi pacis auctori deberemus,tum neminem reperiemus tam parum aut nihil de domesticis rebus aut publicis cogitantem,qui non eius interitũ,cuius vita quò longior,eò publicè vtilior foret, non tristem,non acerbum, non immaturum existimet;aut qui funus Archiducis, sine gemitu,sine lacrymis,sine questu prosequatur. Verùm vt ex hoc dolore aliquid etiam commodi ad Remp. perueniat, danda vobis est opera,Principes Illustrissimi,ne consilia concidisse morte Archiducis,nec virtutem militum languidiorem factam perduelles existiment. Nam etsi sub Dolore Platoni visum fuit,Irę & Timoris affectus contineri,nolite vos committere, vt ad metum aliquem,ignauię argumentum videamur inclinari,sed ad iracundiam,quam veteres Academici quandam fortitudinis cotem esse dicebãt. Iram quoq; dolori coniungere,vt ex eo natam,non vno in loco placuit Aristoteli, & doloris vocabulum pro ira vsurpare poëtis non est infrequens. Quare si quam ex hoc vulnere, quod interitu Archiducis accepit Resp. dolendi causam habemus, vt habemus maximam, pari indignatione resumendi sunt animi,vires acuendæ, omnisque luctus & dolor vindictâ mitigandus est; &eò acrius grauiusq; ad contumelias vlciscendas incumbendum, quò hostis insolentiùs Regiæ Maiestati, Austriacę dignitati,& bonorum omnium desideriis illusit. Sciat autem sentiatq; eandem ad eius furorem contundendum Regis esse potentiam,ad audaciam frangendam consilia non deesse, neq; ad domandam feritatẽ eius militiæ robur imminutum esse. Præfecto intempestiuè terris erepto mansit in prouincia imperij auctoritas penes virum fortissimum Illustrissimumq; Fontium Comitem Belgij legatũ, Præfectumq; designatum, qui dum partes Archiducis sibi ab illo commendatas, sustinebit & tuebitur, vobis adiutoribus cum ceteris Principibus Præfectisq; militaribus exercitum ducendi,manus conserendi,hostem cladibus atterendi,nullam occasionem putabit amittendam. Regij item adsunt ex Hispania Quæstores clarissimi viri,qui in suppeditandis ad bellum subsidiis eò diligentiorem operam præstabunt,quò in partem gloriæ admitti magis cupient: nisi aduersarij ita se comparent, vt ad proponendæ pactionis æquitatem sincera accedant parendi voluntate,& deposita pertinacia indignationem obsequio amoueant, rerumq; suarum securitatem,quæ in armis nulla est,solo Regiæ clementiæ beneficio consequantur. Orandus est interea summis precibus Deus,vt eam Regi,Principiq; Philippo (quos solos mœsta tanti Gubernatoris obitu intuetur Belgica, & ex quorum voluntate, secundùm vnum Deum, tranquillitas temporum & salus nostra pendet) mentem inspiret, vt in eligendo Archiducis successore,idem,quo eum legerunt, iudicium adhibuisse videantur, & eandẽ claritatis tam generis quàm vitę,spectatęq; virtutis rationem habuisse. Ita fiet vt talem exspectaturi simus cum summo imperio nobis præfuturũ, in quo nihil eorum, quæcunq; à superstite Ernesto sperabantur,desiderare possimus. Accedat igitur ad Belgij gubernacula, qui sua magnitudine ad Regiam dignitatem tuendam sit aptissimus, gloriæ priuatim comparandæ studio publicè vtilissimus,ac facilitate morum,& clementia sit gratissimus. Neq; alium certè prouinciæ status postulat,si mala & pericula,quę domi nos opprimunt,foris vndiq; circũstant, dicendo persequamur. Sex ferè sunt lustra, cùm hæc regio continuá ciuilis belli serie, & ab

exteris & à ſuis vexatur & diripitur: Sed ſi vnquam antea, iam nunc ille requiritur, qui conſilio moderari, virtute tueri, atque omnia fortitudine valeat conficere; cuius auctoritati nemo intercedat, & cuius amplitudo tollat ſui reuerentiâ omnes æmulationes & diſſidia nobilium, cunctoſque in officio & obſequio contineat: Qui vt hoſtes externos & domeſticos ſuperet, primùm ſciat bellum ſuis caſtris indicendum & corruptæ diſciplinæ, vt manus militares ad imperij munia paratas ſemper habeat, non autem ad vexandam prouinciam conductas, Regiaſque legiones ſub ſignis, & ad nutum ducis ſui expeditas, non in ſtatiuis ſeditioſis venales: Qui ſciat demonſtretque, belli conficiendi in re nautica, in maritima, in claſſico apparatu, rationem ſitam eſſe: Breuiter is Erneſti ſucceſſor exſpectatur, qui deprauata corrigat, reſtringat diſſoluta, colligat diſperſa, infirma corroboret, componat turbulenta: Qui ſpem Archiducis aduentu inchoatam, & præpropera eius morte interceptam & inciſam, adimplendam ſibi putet, & eandem ob oculos & in mentem defigat, velut gloriæ appetendæ ſingulare inuitamentum: Qui ſui deceſſoris non imperium modò & honores adipiſci, ſed virtutes etiam ſin minus ſuperare, æquare tamen velle quàm maximè videatur: Qui nihil tam eximium, aut expetendum putet, quàm integritatem ſuam, ſummamque temperantiam non latere in tenebris, nec ignotam eſſe, ſed in oculis Belgij clariſſimæ prouinciæ, in omnium verò gentium & nationum exterarum auribus eſſe poſitam: Qui denique in prouincia cum hac laude verſetur, ſe actiones ſuas ita inſtituere, vt imperium ſapientiâ, Remp. iuſtitiâ, populum clementiâ rexiſſe dicatur, & has Belgicas prouincias pro Regis dignitate, pro ſalute noſtra, pro ſua autem gloria pacatas reliquiſſe. Hoc Deum, hoc Regem votis omnibus flagitamus, vt res noſtras afflictas, vterque in cauſa ſua benigni reſpiciant, & Erneſto ſucceſſorem quamprimùm renuncient, in quo Principis gratiſſimi iacturam conſolemur.



OMISSA HÆC ADDITO.

Folio 5. linea 29. poſt dictionem, profugit, inſere: Iulio interfecto, Germani illæque nationes, inter quas & Belgæ, re audita de Cæſare, legatos miſerunt ad Aurelium, (quem L. Cottam fuiſſe opinor, poſt bellum Mutinenſe adhuc ſuperſtitem) qui ab Hirtio Conſule præpoſitus illis erat, ſe, quod eſſet imperatum, eſſe facturos, vt ad Atticum ſcribit Cicero. Et ne mirum videatur Tullium nomine illarum nationum non expreſſiſſe Belgas, aut eorum vllos populos, certum eſt eoſdem ne auditu quidem illi cognitos fuiſſe: vt ex ipſius reſponſo colligitur, ad Q. fratrem ſcripto, de ſe in Neruiis oppugnato conqueſtum; vbi enim, inquit, iſti ſunt Neruij, & quàm longè abſint neſcio.

Fol. 7. lin. 13. reliquerat: adde: Neque ſui diſſimilem nepotem habuit Varus L. Aſprenatem legatum ſuum, & duabus legionibus eo tempore præfectum; quas cùm ſtrenuè vindicaſſet, in viuos beneficus à Velleio commendatur, ſed vt fordidus in cæſos, in quorum patrimonia inuaſit, notatur. Ab eodem L. Cœditius laudatur, caſtrorum præfectus, vt à Sexto Frontino Cœlius primipilaris, qui obſeſſis poſt cladem Varianam Romanis, pro duce fuit.

Fol. 10. lin. 28. conſtat: appone: Ne quis autem generis indignitatem proconſuli noſtro obijciat, meminiſſe oportet, etſi ſtante Rep. Libertini ab honoribus repellebantur, tamen filios Libertorum à C. Iulio Cæſare in Senatum lectos eſſe, ex Dione probari; & à Claudio Imperatore, Appij Cæci cenſoris exemplo, ex Tranquillo & Tacito. Hoc poſteriori æuo factitatum eſt licentiùs; nec Commodo fuit inſolens, ſi auctoritatem, ſummamque poteſtatem, quam detulit Cleandro de lapide empto, ſpectemus.

Fol. 11. lin. 13. infr. expleuerit: inſere: Sub ijſdem Augg. Rictiouarus, vel vt alij, Rictius Varus Galliæ præſes, & limitis Neruici præfectus, permultos nominis Chriſtiani aſſertores, glorioſo martyrio decorauit. Sed horrendæ feritatis iuſto Dei iudicio pœnas æquas dedit.

Fol. 29 lin. 10. Alberto; adde: filio (niſi fallor) Roberti Comitis Namurcenſis, qui poſt obitum S. Guiberti Gemblaci fundatoris anno D. CCCCLII. bona eiuſdem monaſterij occupaſſe legitur, in eiuſdem S. Confeſſoris vita.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Folio 6. lin. 9. infr. *lege:* Cheruſcos. fol. 7. lin. 30 *lege:* Norbano. fol. 8. lin. 4. *leg.* Sanquinius. fol. 13. lin. 26. nulla, *leg.* vix vlla. fol. 19. lin. 4. 14. 15. 20. pro dictione Moſellana, *repone* Lotharingam. fol. 29. lin. 10. infr. *leg.* Namurcum. fol. 40 lin. 11 *leg.* potentiam. fol. 42 lin. 27. *leg.* contumeliam. fol. 43. lin. 4. *leg.* præſtitutum fol. 45. lin. 14. *leg.* ſtrategemati. lin. 22. *leg.* Aruernos. fol. 110 lin. 17 *leg.* referebat. fol. 131. *leg.* minori. fol. 157 *leg.* fruenti. fol. 160 lin. 3. inf. *leg.* Mæcenate. fol. 162. lin. 12. *leg.* anguſto. fol. 168. lin. 2. *leg.* conſeſſu.

APPROBATIO.

In hac elaboratissima & elegantissima Topica & Historica in aduentu Serenissimi Principis Ernesti Archiducis Austriæ, &c. *descriptione, & reliquis, Auctore* IOANNE BOCHIO, *viro doctissimo & facundissimo, nihil continetur quod S. Rom. Ecclesiæ, Catholicæ religioni, vel Regiæ Maiestati contrarium est, & propter operis dignitatem & elegantiam, meo iudicio vtiliter & imprimentur, & legentur: Datum Antuerpiæ,* ANNO M. D. XCV. *Prid. Cal. Martij.*

D. Henricus Sebertus Dunghæus, S. Theol. Doct. Pœnitentiarius Apostolicus, Canonic. Antuerp. librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS *priuilegio cautum est, ne quis citra voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpiensis, librum cui titulus est,* Descriptio publicæ gratulationis, spectaculorum & ludorum, in aduentu Serenissimi Principis Ernesti, Archiducis Austriæ, &c. cum breui narratione De Belgij Principatu, &c. *vllo modo imprimat, aut alibi impressum in suas ditiones importet, venalémve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & graui pœna multabitur: vti patet in literis Datis Bruxellæ,* V. *Martij.* M. D. XCV.

Signat. I. FACVWES.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD VIDVAM ET IOANNEM MORETVM.
M. D. XCV.


LABORE ET CONSTANTIA



